SAMUELIS REYHERI, JC.

Anteceſſoris & Mathematum Profeſſoris
IN ACADEMIA
CHRISTIAN-ALBERTINA
Juridico - Philoſophica

DISSERTATIO
DE
NUMMIS
quibusdam
ex Chymico Metallo factis.

Kiliæ Holſatorum,
cIɔ Iɔc XCII.
Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

Dn. FRIDERICO,

Norvvagiæ Heredi, Slesvvigæ,
Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ
Duci,
Oldenburgi & Delmenhorſti
Comiti,
Principi ac Domino ſuo
Clementiſſimo,
hanc Diſſertationem
humillimè conſecrat

AUCTOR.



Dux Sereniſſime, Princeps ac Domine Clementiſſime,

P*Atriæ ſalutem ut quæramus, propria ſuadet ſalus. A patriæ enim felicitate indigenarum quoq; pendet conſervatio. Licet autem me in hâc regione natum minimè aſſerere queam, eandem tamen à me pro patria habendam eſſe non una moveor ratione. Ut taceam nunc tritisſimum iſtud,* Patria eſt, ubicunque bene

eſt; *vel illud*, Ubi vir fortis ſedem elegerit, Patria eſt; *unicum hoc memoraſſe ſufficiat, Reverendiſſimum atq; Sereniſſimum Serenitatis Tuæ Parentem, Dn. CHRISTIANUM ALBERTUM, Heredem Norwagiæ, Poſtulatum Epiſcopatûs Lubecenſis Coadjutorem, Ducem Sleswigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dithmarſiæ, Comitem Oldenburgi & Delmenhorſti, &c. Academiæ hujus Inſtauratorem Magnificentiſſimũ, & Conſervatorem adhuc Munificentisſimum, Principem ac Dn. meum Clementiſſimum, omnibus & ſingulis hujus Univerſitatis Profeſſoribus, & eo ipſo mihi etiam meisq;, clementiſſimè Indigenarum conceſſiſſe Jura. Merito itaq; & mihi ſalus Cimbriæ cordi eſſe debet, cujus incrementa, quantum in me fuit, per XXVI fermè annos, ſedulò promovere, nec omninò fruſtra, anniſus ſum. Ecquid autem magis augere poteſt provin-*

ciæ

ciæ alicujus ſalutem, quàm prudens ejusdem adminiſtratio & regimen, quod ſine prudentibus obtineri nequit Principibus. Meritò itaq; non tantùm Patri Patriæ longævam & felicem hujus lucis uſuram, ſed Spei quoq; Patriæ proſperam apprecamur vitam. Quam ob rem cùm anno ſuperiori è Suecia ſalvus & incolumis per DEI gratiam redux primâ vice hanc civitatem, inq; illâ noſtram viſitares Academiam, jure meritoq; omnes Ducatuum horum incolæ, interq; illos almæ hujus Chriſtian-Albertinæ tàm Patres, quàm Cives, ſolemni gratulatione ac ſplendida acclamatione ſuum vovendi ardorem humillimè expreſſerunt; nec me ſincerum animi devotiſſimi affectum celasſe decuit, ob ſingulare, quo Tua Serenitas me mactavit beneficio, dum Cameram meam obſcuram benigniſſimis illuſtrare radiis haud dedignata eſt; Ubi inter alia Vo-

tivam exhibui Tabulam, cujus effectus ut perpetuus & perennis ſit, eandem æri inciſam, præſertim hoc tempore, quo feliciter, per DEI optimi maximi gratiam, exantlato itinere Italico, Patriam exoptatiſſimo Tuo exhilaraſti reditu, denuò offerre & humillimè hîc conſecrare volui.



Præterea in procinctu ſtanti, & expeditionem in crudeliſſimos Germanorum hoſtes

mo-

molienti meritò fumoſas quorundam Majorum Tuorum imagines, quarum infinita reſtat copia, nominetenus ſaltem ob oculos poſui, certò ſciens, fore, ut illorum ſplendorem non tàm oculis intuearis, quàm Heroicas Glorioſiſſimorum Avorum virtutes imitari, imò ſuperare, & multis paraſangis à tergo relinquere ſis conaturus. Abeunti itaq; militatum votivas illas veterum Romanorum acclamare volui voces : SERVET TE DEUS, FRIDERICE FORTISSIME! Idem ſupremum Numen faxit, ut victis hoſtibus internecione dignis tria illa Julii Imperatoris verba, VENI. VIDI. VICI. reſcribere poſſis, utq; finitò bello glorioſè reducem veteri quoque Romanorum formulâ,

MACTE VIRTUTE ESTO!

Te excipere queamus. Denique teſtandæ devotionis humillimæ gratiâ Nummorum quorundam, præcipue Suecicorum, & varias

rias ob cauſas notatu digniſſimorum, Delineationes Deſcriptione Hiſtorico-Juridica illuſtratas Tuæ Serenitati debitâ conſecrare volui ſubmiſſione, nullus dubitans, opuſculum hoc ex devota erga Serenitatem Tuam profectum mente minimè ingratum fore, ac ſerenâ potius fronte acceptum iri. Faxit DEUS ter optimus maximus, ut ex Sereniſſimorum Parentum voto ad Patriæ ſalutem diu floreas, conſtanter vigeas, & pancraticè valeas. Ita ex animi ſententia vovet,

Sereniſſime Dux, Domine Clementiſſime,

Serenitatis Tuæ

ſubjectiſſimus ac devotiſſimus

Samuel Reyher, JCtus.

Kiliæ Holſatorum, ante Idus Majas, anni à N. Chriſto cIↄ Iↄc xcI Juliani.

CHRISTIANUS I. Rex Sueciæ &c. † 1482.

CA..GIUS R. Bohem. 1470.

JOHANNES Rex Norvvag. &c. † 1513.

CHRISTIANUS III. Rex Dan. &c. † 1559.

ELISABETHA Norvvag. † 1555.

B A..NA Bohe- Polo † 1510.

A N N A Brandenburg. † 1567.

..RICUS ..n. † 1541.

UDALRICUS Dux Megapolit. † 1603.

CHR.. Sax..

FRIDERICUS I. Rex Dan. Norvv. † 1533.

..STUS Elect. † 1586.

SOPHIA Megapolit. † 1630.

FRIDERICUS II. Rex Dan. &c. † 1588.

ADOLPHUS, Her. Norvv. † 1586.

CHR.. Hassia..

CHRISTIANUS IV. Rex Dan. Norvv. &c. † 1648.

JOHANNES ADOLPHUS, Dux Slesvv. Holſ. &c.

..IANUS I. ..xon. † 1591.

..NES GEORG. I. ..xon. † 1656.

FRIDERICUS III. Rex Dan. & Norvv. &c. † 1670.

FRIDERICUS

C..

FRIDERICA AMALIA n. 1648.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Præfatio ad Benevolum Lectorem.

CAuſam, quæ me hanc nummorum quorundam Chymicorum deſcriptionem edere impulit, Tibi L. B. ante omnia exponendam eſſe ratus ſum, ne alias fortasſis me communisſimo Chymiaſtrorum oeſtro percitum hæc protulisſe, opinandi capias anſam. Scias igitur velim, ante biennium Perilluſtrem atq; Excellentisſimum Dominum Oliwecrantz ex Germania per hanc civitatem in Sueciam revertentem per biduum nobiſcum eſſe commoratum, interq; alios me quoq; pro ſuo in literas cultiores favore ad colloquium invitaſſe, & aureorum quorundam, quos Sereniſs. Suecorum Rex Guſtavus Adolphus, glorioſisſimæ memoriæ, ex auro Chymico cudendos, & Chymicis quibusdam characteribus, Sulfuris ſc. & Mercurii, notandos curaverit, mentionem fecisſe, quæ relatio in memoriam mihi revocavit, me quoq; duos, Suecica inſignia continentes, habere aureos; domum itaq; reverſus illos accuratius inſpexi, & alterum ſimplicem ſine characteribus, alterum vero binionem cum 🜍 & ☿ ſignis deprehendi. Cumq; poſt annum denuo laudatus Dominus Oliwe-

crantz ad hanc diverteret civitatem, duos aureos à Suecis in Germania factos communicavit, quorum alter ſolummodo ſigna illa Chymica continebat; ſolicitus hinc de paulo accuratiori hujus rei hiſtoria forte incidi in Ephemerides Medico-Phyſicas Naturæ Curioſorum Germaniæ, ubi ea, quæ Cap. I. Diſſertationis hujus recenſentur, reperi, allegatumq; vidi Itinerarium Monconyſii, quod Celeberr. Dn. Morhofius, Collega & amicus meus conjunctisſimus, non tantùm commodavit, ſed inſuper argenteum nummum ovalem, una cum exemplari alterius nummi rotundi, ex argento Chymico facti, communicavit, ſeq; aureum ejusmodi Suecicum poſſidere dixit. Binionem vero neq; ipſe, neq; ſupra laudatus Dominus Oliwecrantz unquam viderat, Monconyſius quoq; & Ephemerides Medico-Phyſicæ nullam ejus faciunt mentionem. Quid? quod in Ephemeridibus laudatis expreſsè in dubium vocatur iſta hiſtoria ideò, quod glorioſisſimus Rex Sueciæ, Guſtavus Adolphus, anno cIↃ IↃC XXXII. *defunctus ſit, nummi verò aurei non alii, quàm anno demum 1634. excuſi, reperiantur. Igitur iconem rarisſimi hujus binionis publici juris facere, ſimulq; alia quædam ad Chymiam ſpectantia, partim ex JCtis, partim ex Hiſtoricis collecta, nec non de Chymicorum quorundam characterum cum Aſtrologicis ſignis affinitate conjecturas aurei hujus binionis deſcriptioni adjungere, operæpretium eſſe duxi, forſan alia de antiquiſ-*

ſimo-

ſimorum uncialium argenteorum trigâ, volente Deo, poſthac editurus. Vale interim, Lector honoratiſſime, mihique fave.

CAP. I.

De nummis aureis.

§. I.

AUreus, quem Perilluſtris Dominus Oliwecrantz nobis monſtravit, parùm differebat ab illo, quem ante laudatus Dominus Morhofius comunicavit,cujus ſimulacrũ,forma paullo majore,hic ſiſto; veram autẽ ejus magnitudinem exprimit circellus vacuus diſcorum contingens limbos. In priore diſco, imaginem Regis Glorioſisſimi exprimente, reperitur talis inſcriptio:

GUSTAVus ADOLPHus DEI Gratia
SUECorum GOTHorum VANDalorum Rex.

Alterum latus, inſignia Suecica continens, characteres Sulfuris 🜍 & Mercurii ☿ nec non annum Chriſti 1634. exhibet, cum hac inſcriptione:

PRinceps FINLandiæ DUX ETHONiæ
ET CARELiæ DOMinus INGERmanniæ.



§. 2. Ejusmodi aureos ex auro, quod arte Chymicâ ex plumbo factum eſt, conſtare, Dominus Monconyſius in Itiner. ſui Part. II. p. 381. confirmat, ubi notatu digna, menſe Martio anno 1664. Ratiſponæ obſervata, recenſet, & inter alia hæc habet: *L' apoticaire Strobelperger me dit, comme un marchand de Lubec, qui faiſoit fort peu de negoce, mais qui ſçavoit fixer le plomb, & le teindre en bon or, donna au Roy de Suede cent livres d'or en maſſe, lors qu'il paſſa par Lubec, dont il fit faire des ducats; & pource qu'il ſçavoit bien, que cet or procedoit de la converſion du plomb en or, il fit mettre aux coſtez de ſes armes, qui ſont gravées à une des faces du ducat, le charactere du Souffre, & celuy du Mercure. Il me donna pour verifier ſon dire un de ces ducats, & il me dit, qu'apres la mort de ce marchand, qui ne paroiſſoit pas fort opulent, n'ayant jamais negotié, qu'a un negoce de peu de profit, & qu' il avoit meſme diſcontinué depuis tres long temps, on trouva chez luy plus de 1700 mille eſcus.* h. e.

Pharmacopola Strobelperger mihi retulit, mercatorem quendam Lubecenſem, ſatis negligenter negocia ſua curantem, tingendi plumbum, & illud in purum transmutandi aurum calluiſſe artem, eumq; Suecorum Regi Lubecam permeanti centum librarum illius auri maſſam obtuliſſe, ex quo auro Rex poſtea Aureos ſive Ducatos cudi curaverit, quodq; ſciret, aurum iſtud ex plumbi transmutatione ortum eſſe, ad latera inſignium Regiorũ, quæ in altera aurei facie apparent, Sulfuris & Mercurii characteres, poſitos eſſe. Ut me quoque certiorem de illa re faceret, unum ejusmodi aureorum dono dedit, addiditq;, antea dictum mercatorem, licet parum opulentus cenſeretur, quod diu mercaturam, antea minus feliciter geſtam, exercere deſierat, nihilominus centum & ſeptuaginta myriades (1700000) coronatorum ſuis reliquiſſe heredibus.

§. 3.

§. 3. Hanc ipſam narrationem repetiit Philippus Jacobus Sachſius à Leuenheim, in Tomo primo Ephemeridum Naturæ Curioſorum, anni 1. Obſervat. XVII. p. 71. hanc addens hiſtoriam: *Horum Ducatorum mentionem quoq; fecit ante aliquot annos, cum conjugis ipſius ſanitatis curam gererem, admodum ſtrenuus Dominus Ludovicus à Schönleben, Hereditarius in Gubren & Vicecolonellus, rerum Chymicarum ſtudioſisſimus; nec ſolum talem monſtravit, ſed & ex liberalitate eundem muſeo meo dono conceſſit, ſigno Sulfuris & Mercurii notatum, quem in hac adjuncta tabula ænea non minus, quam alterum Moguntinum, ex ejusdem Domini ſupellectile delineatum, exhibere volui, ut non ſolum veritas dictorum eluceſceret, ſed & ſi forte fortuna ſimiles obvenerint à reliquis ob ſingularitatem diſcerni poſſint.*

§. 4. Laudatum Dn. à Schœnleben non temerè prædictos aureos ex auro Chymico factos ſtatuiſſe, inde colligo, quòd ejus ex filia nepos, Generoſus Dn. Tobias Ludovicus ab Haugwiz, eques Sileſius, Juris & Mathematum cultor indefeſſus, convictor meus gratiſſimus (qui aliquoties antea Avi ſui, anno 1683, cum 64. ageret ætatis annum, defuncti, ſingularem pietatem ac ſapientiã in rebus Chymicis, ut & peritiam in re Militari prædicaverat) hæc legens confirmavit, addens: venerandum ejus Avum aliquot annos ſub Imperatoribus Glorioſiſſ. Ferdinando II. & III. & adhuc imperante Leopoldo Magno meruiſſe, tantamq; Chymiæ adeptum eſſe notitiam, ut non ſolum varia ex mineralibus præpararit medicamenta, ſed particulam quoq; argenti aliquando in verum transmutarit aurum. Unde facilè fieri potuit, ut Vir Chymiæ gnarus eo tempore vivens, quo aurei iſti facti ſunt, eorum aliquos ſibi comparaverit.

§. 5. Eques Anglus Dominus de Moray in Epiſt. ad Dominum de Monconys anno 1664. ſcripta (Tomo II.

Itinerarii Anglici p. 70. extante) deſiderium videndi talem aureum his verbis indicat. *Je n'ay jamais ouy parler de ces pieces d'or, qu'a fait faire le Roy de Suede, ny ne crois pas en pouvoir trouver icy. C'eſt pourquoy ſi vous m'en voulez envoyer une, je la preſenteray à la Societé de vôtre part.*

§. 6. Electorem Moguntinum Georgium Fridericum de Greiffenclau, medium inter Johannem Swicardum de Cromberg, & Anſelmum Caſimirum Wamboldum, Archiepiſcopos Moguntinos, ex ☿ in ☉ converſo aureos cudi curaſſe, notatos ſigno Mercurii, eorumq; unum in Muſeo ſuo laudatus Dominus Sachſius ſe habuiſſe teſtatur citato Ephemeridum Tomo & loco num. IIX.

§. 7. Hanc relationem in dubium vocat Dominus Georg. Wolfg. Wedelius in Analectis ad allegatos Ephemeridum Medico-Phyſicarum annos quartum & quintum p. 297. & 298. *Illud* (ſc. Exemplum) inquiens, *quod ex Domini Monconys Itinerario adductum, non ſatis firmam fidem apud omnes invenit, inprimis quibus tempus, quo ipſi illi nummi aurei, Guſtavi Adolphi, Regis Suecorum, effigiem & nomen præ ſe ferentes, excuſi ſunt, quia cum Chronologia id concordare non poſſet, de veritate relationis dubitandi anſam ſubminiſtravit; quandoquidem Regem illum, glorioſæ memoriæ, anno 1632. menſe Novembr. in prælio Lutzenſi lethali globulo concuſſum ſuccubuisſe, nemo eſt, qui neſciat; nummi vero aurei non alii, quàm qui demum anno 1634. excuſi ſunt, inveniantur. Adde, quod in relatione à Pharmacopœo Domino de Monconys facta nullum temporis exprimatur momentum, quando Rex Sueciæ Lubecam tranſierit, aut quando juſſerit Ducatos excudi.*

§. 8. *Sed hæc fortasſis mitius interpretari quis poſſet, niſi ab aliis præterea, & inprimis à Domino D. Mollenbroccio, obſervatum eſſet, jam duodecim annis ante, quam nummi hi aurei excuſi ſunt, monetam argenteam civitatis Erfurtenſis inveniri, cui eadem ſigna Mercurii & Sulfuris impreſſa ſunt. Ejus rei fidem*

idem Fautor & Collega noſter honoratiſſimus quo magis indubitatam redderet, talismodi groſſum argenteum gratiſſimo transmiſit dono, cujus iconem in gratiam benevoli lectoris æri inciſam hic apponere merito viſum eſt.



§. 9. *Idem Dominus D. Mollenbroccius allegat teſtimonium ipſius monetarii, nomine Weiſmantel, qui in colloquio coràm de hac re habito faſſus eſt, ſe ſignis hiſce ☿ & 🜍 pro ſymbolico charactere uti ſolere.*

§. 10. *Hæc amore veritatis adduci debuerunt, ne lectori ficta pro veris obtruſa dicantur, immò vero candorem eidem noſtrum probemus, ut certus ſit, in aliis quoq; parem ſinceritatem Collectores Ephemeridum ſectaturos, nec unquam diſſimulaturos, ſi ipſis alicubi infida relationes impoſuerint.*

§. 11. *Adeoq; ſignum 🜍 & ☿ inditum eſt groſſis, hinc & thaleris, & aliis generis monetis quibusdam Erfurtenſibus, ceu nota probitatis. Fuere enim duo monetarii circa annum 1622. Ziegler & Weiſmantel, unde & in Thuringia præſertim duorum generum viſuntur groſſi Erfurtenſes, citra Sulfuris & Mercurii characterem, & cum eodem, quorum illi minoris ſunt bonitatis, hi vero* nach dem alten Schrot und Korn: *unde & aliquoties iſti devalvati fuerunt.*

§. 12. Ejusmodi Thalerum ſive nummum uncialem ex liberalitate Nobiliſſimi & Experientiſſimi Dn. Johann Ludolfi Ringelmanni, ob inſignem eruditionem & ſingularem

rem in re medica peritiam Serenisſimi & Potentisſimi Regis Daniæ, Norwagiæ, &c. Archiatri famigeratiſſimi, jam posſideo, cujus effigiem hîc apponendam judicavi.



§. 13. Nummos etiam alios, quàm qui anno 1634. excuſi ſunt, inveniri, evincit meus Binio (Doppelt Ducat) qui anno 1633. quo corpus Regis fortisſimi ex Germania transvectum eſt in Sueciam, ſignatus eſt. In facie primaria conſpicitur cranium humanum oſſibus impoſitum, ex quo non tantum ſerpentes aliqui prorepunt, ſed etiam vitis cum palmitibus uviferis excreſcit, cum tali Epigraphe:

EZECH. AM. XXXVII CAP.
UND AM. VI NOVEMB. 16 32.

Extimum limbum hæc ornat inſcriptio:

GUSTAVUS ADOLPHUS D: G.
SUEC. GOTH: VAND: RE:

Altera facies præ ſe fert inſignia Regum Sueciæ cum anno Chriſti 1633. appoſitis duobus ſignis Sulfuris & Mercurii; omnia hæc ambiunt ſequentia verba:

DU MENSCH: KIND MEINST: AUCH:
DAS DISE BEINE WID: LEBEN: WERD:

In

In extimo limbo hæ viſuntur literæ:

❀ PR: FINL: DUX ETHON: ET CAREL: DOM: INGE:



§. 14. Hunc ipſum binionem cum aliis quibusdam nummis deſideratisſimus meus proavunculus, plurimùm Reverendus Dominus D. Samuel Zehnerus, p. m. anno 1635. cum in baptiſmo ſuſceptoris officio fungeretur, ſymboli luſtrici loco mihi exhibuit, quem ſingulari fato adhuc retinui.

§. 15. Licet minimè dubitem, verba illa Ezechielis ob præmaturum Regis obitum conſolationis ergò adjecta eſſe, nihilominus tamen haud inutile erit, aliqua ex judicio celeberrimi iſtius Thomæ Reineſii, quod de MSto Codice Græco (quem Illuſtrisſimus Dux Saxoniæ Joh. Wilhelmus, Friderici Wilhelmi, Electoratûs Saxoniæ Adminiſtratoris filius, anno 1632. defunctus, glorioſæ memoriæ, ex Codice Auguſtanæ Bibliothecæ circa annum 1623. de-

 ſcribi

ſcribi fecit, & Bibliothecæ Altenburgenſi adjunxit, ex quâ hereditario jure ad ſelectiorē Sereniſſimi Principis ac Domini, Dn. *FRIDERICI, Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ, ac Montium, nec non Angriæ & Weſtphaliæ Ducis, &c.* heu nimis citò, nempe die 2 Aug. ſuperioris anni, nobis erepti, Principis ac Domini mei, dum in vivis erat, clementiſſimi, Bibliothecam tranſlatus eſt, ibiq; adhuc aſſervatur) tulit, hîc recitare. Ibi inter alia hæc habentur verba: Zoſimus Hiſtoricus, welcher unter dem Käyſer Theodoſio Juniore, ümbs Jahr Chriſti 420, Comes & Ex-Advocatus Fiſci geweſen / ob er wol von Erſchaffung deß Menſchen / von der Menſchwerdung / und vom Leiden deß Sohns Gottes zu reden gewuſt / ſo hat er doch die alten Ægyptiſchen Fabeln (welchen die Gelehrten in Ægypten dazumahl ſehr ergeben waren) auß Pymandro Triſmegiſti genommen / daran geſchmützt / und das hohe Geheimniß auf die elende Kunſt; das Prophetiſche Geſichte Ezech. 37. von denen verdorreten und zerſtreueten Todten-Gebeinen / auf ſein Scriptum von den Chymiſchen Ofen; wie auch andere Artiſten das hohe Lied Salomonis und andere Textus Scripturæ auf die Chryſopœiam gedeutet.

Hoc eſt: Zoſimus Hiſtoricus, qui ſub Imperatore Theodoſio Juniore, circa annum Chr. 420, Comes & Ex-Advocatus Fiſci fuit, licet de hominis creatione & filii DEI incarnatione ac paſſione loqui potuerit, illa tamen obſoletis Ægyptiorum fabulis (quibus eo tempore doctiores Ægyptii maximè dediti erant) ex Pymandro Triſmegiſti petitis nefariè conſpurcavit, & Sacroſanctum myſterium ad miſeram Chryſopœias artem; Propheticam Ezechielis viſionem cap. XXXVII. deſcriptam ad ſuum de Furnis Chymicis ſcriptum applicavit librum. Quemadmodum etiam alii artifices Canticum Canticorum aliosque Scripturæ Textus de Chryſopœia explicârunt.


§. 16. Non

§. 16. Non tantum autem binio meus, ſed ſimplices
quoq; aurei ſignis ♀ & ☿ notati anno 1633 facti reperiuntur,
qualem ſupra laudatus Dn. Morhofius νῦν ἐν ἁγίοις poſſedit,
mihiq; monſtravit. Unde non eſt, quod, quia poſt mortem
Regis ſolummodo cuſi reperiuntur ejusmodi aurei, dubi-
temus, illos ex auro Chymico factos eſſe, cum potius ex hoc
ipſo quis ſuſpicari poſſit, hanc ob cauſam adeo inſolito more
numos cum effigie Regis defuncti, quaſi viventis cuſos eſſe.

§. 17. Alterum, quod moveri ſolet, dubium majo-
ris eſſe videtur momenti, ideò quod Hiſtorici tacent de Re-
gis tranſitu per Urbem Lubecam, nec etiam talem mer-
catorem, qualem deſcribit Monconyſius, cives Lube-
cenſes agnoſcunt. Verum nihil aliud inde colligitur,
quam Pharmacopolam Ratisponenſem errorem admiſiſ-
ſe in nomine Urbis, ubi tale aurum Regi oblatum eſt. Erfurti
autem, ubi ſæpè laudatus, nunquã verò ſatis laudandus Rex
ſine dubio fuit, tale quid accidiſſe, ex fama apud Thuringos
adhuc durante colligi poteſt, dum ferunt Regi à cive quo-
dam, Chryſopœiæ perito, tres aureorum myriades (30000)
fuiſſe oblatas. Hanc famam haud parum confirmare viden-
tur nummi Erfordenſes, ob ſigna ♀ & ☿ notabiles paulò
ante deſcripti. Obiter notandum, in groſſis Erfordenſibus
ſigna ♀ & ☿ absque transverſalibus lineis videri.

§. 18. Aureos etiam ſeculo IV. in Germania cuſos
fuiſſe cum ſigno ☿, ſcripſit Tilemannus Frieſe, im Müntz-
Spiegel/ l.3.c.4.p.91. his verbis: In dieſer Zeit wird geachtet/
daß die Völcker auch mit Geld gehandelt/ doch daß das
meiſte Geld dünne hole Müntze geweſen/ damit der gemei-
ne Mann gehandelt. Sonſt haben die Könige und Fürſten
Silber und Gold gemüntzet/ aber doch kleine Goldgülden
von 20. und 25. Eſchen/ gleich wie die Römiſchen Semiſſes

und Tremiſſes geweſen: Doch ungleiches Goldes/ daß etliche/vielleicht die ältiſten/von 22. Caraten/ etliche von 18. Caraten/und etliche/ vielleicht die jüngſten/von 12. Caraten/ mit unterſchiedlichen Fürſtlichen Bruſtbildern/auf einer/ und auf der andern Seite mit dem Bilde Mercurii eines fliegenden Gottes/mit dem Signo ☿ jedoch daß das Bild in der lincken Hand das unter Theil/als das Ligamen ♉ ,und das ober Creutz in der rechtë ſtehende hat. Welches geachtet/ daß es die Schwaben ſollen geſchlagen haben/ dieweil Tacitus ſagt/ daß die Schwaben inſonderheit ſollen den Mercurium geehret haben.



Wie auch zu Speier ein alt monument an einer Kirchen/ ein ſtück Bildes/ darunter

DEO MERCURIO.

Ex Trithemio, ex Ammonio, Marcellino, ex Reginone, Sigeberto, Tacito, & Strabone.

§. 19. His verbis indicatur, ſeculo IV. Reges & Principes Germaniæ ex argento & auro bracteales cudiſſe nummos, & in ſpecie ad ſimilitudinem Tremiſſium Romanorum parvos XX. aut XXV. aſſium formaſſe aureos, quorum unum latus imaginem Principis alicujus, alterum vero Mercurium volantem lævâ manu virgæ Mercurialis ligamen 8, dextrâ vero crucem ✠ tenentem exhibuit. Svevos, qui teſte Tacito præcipuè Mercurium coluerunt, hos aureos cudiſſe credunt. Ubi notandum, fortè pro *Ammonio, Marcellino* legendum eſſe *Ammiano Marcellino*.

§. 20. Eduar-

§. 20. Eduardus III. Rex Angliæ cudendos curavit nummos aureos, *Nobiles Roſatos* dictos, de quibus ita Johannes Seldenus in lib. 2. c. 25. de Mari Clauſo ſcribit: *Nummi Anglicani partis adverſæ inſcriptionem* IHS. AUT. TRANSIENS PER MEDIUM ILLORUM IBAT *ex Evangeliis deſumptam; alii opinati ſunt, ſimbolum fuiſſe Chymiſtarum, qui, ſanctiſſimi Numinis & nomine & tranſitu ita profanè ſatis uſurpato, reconditam artis ſuæ, quæ aurum nummis hiſce ſub Edwardo III. conficiebat, majeſtatem adumbrari vellent.* Conf. Morhofii Tract. de Metall. transmut. pag. 123.

Cap. II.

De Nummis Argenteis.

§. 1.

INveniuntur præterea alii quoque Nummi, qui ſigno ☿ notati ſunt, cujusmodi eſt ille uncialis argenteus, quem Amicus quidam delineandum conceſſit, in cujus primaria facie depictum videtur Nomen Domini Tetragrammatum יהוה lumine radioſo circundatum, cum tali ſubſcriptione:

A DOMINO FACTUM EST ISTUD

Altera facies ſequentia continet:

DEO TER OPTIMO
MAXIMO GLORIA ET LAUS
QVI GUSTAVO ADOLPHO
SVECORUM GOTHORUM
VAND: QVE REGI CONTRA
CÆSAREANUM AC
LIGISTICUM EXERCITUM
VICTORIAM TRIBUIT
AD LIPSIAM DIE
VII. SEPT. ANNO
M: D: C: XXXI.

☿

§. 2. In fine ſignum ☿ apparet, quod hoc loco non metallum, ſed feriam hebdomadis denotat, quæ anno 1631. reſpondit diei ſeptimo Septembris.



§. 3. Argenteus ſequens ovalis mera continet ænigmata & hieroglyphica, literæ quoque adeò rudes & aliquæ tam intricatæ ſunt, ut omnes hactenus explicare haud potuerim. Interim me quidem judice inſcriptio averſi lateris melius quadraret aureo, quàm argenteo nummo.

§. 4. Anterior facies, more quorundam Chymicorum minimè laudabili, quatuor illa animalia Prophetica, nempe Hominem, Leonem, Bovem, & Aquilam deformat, in quorum medio maſſa hæret variis notata maculis. Scuto impoſitæ ſunt tres Galeæ coronatæ & anterius perforatæ, faſcia quoque utrinque propendente colligatæ, quibus tres inſident imagines, Senis nempe barbati in medio, Viri juvenis imberbis ad dextram, & Columbæ ad ſiniſtram, cum hâc epigraphe;

TRIA MIRABILIA:
DEUS ET HOMO
TRINus ET UNus
MATER ET VIRGO.

§. 5. Al-

§. 5. Altera nempe averſa facies in medio oſtendit ſignum Mercurii cum duplicato circulo, cui inſidet Pelecanus pullos ſanguine ex pectore profluo recreans: ſuperior circulus tres circellos vel puncta comprehendit. Inferius cruci adhæret aquila annulo incluſa. Crux cum circulo proximo ſuperiore videtur ſignificare ♀ Venerem ſive cuprum; cum inferiore aquilam continente ♁ Antimonium repræſentat. In imo ſignatus eſt circulus, qui ſpeciem Victrioli ⊕ vel ⊖ Salis vel ⦶ Nitri præ ſe ferre videtur. Dextrum latus occupat juvenis, dextrâ ſuâ cornu copiæ, ſiniſtrâ Virgam mercurialem ☿ tenens; in ſiniſtro latere ſtat juvenis cum ſigno 🜍 in dextrâ, & cum ſceptro in ſiniſtrâ. Capitibus Juvenum imminet hæc inſcriptio:



§. 6. Ex-

ESSentia UNA.

Pedibus verò hæ ſubjiciuntur literæ:

RITRT G. I. W.

Infra aquilam ſequentia verba leguntur:

SIC VOLVERE FATA

1604.

In limbo talis reperitur inſcriptio:

NATURa UNita USU ReNATA MODO TOTa

♄ FUERAM, NUNC ☉ CLARiſſimus EXTO.

§. 6. Exemplar alterius Nummi argentei in facie anteriore continet duas manus alatas, è nubibus protenſas, enſem tenentes evaginatum & erectum, cujus cuſpis angulo trigoni, cui manus includuntur, contiguus eſt. Extimi limbi talis eſt inſcriptio;

✠

GLORIA, IN EXCELSIS. DEO
ET. IN. TERRA. PAX. HOMINIBUS. BONÆ,
VOLUNTATIS,

Alterius limbi inſcriptio:

✠

TRIA. SUNT. MIRABILIA
DEUS. ET. HOMO
MATER. ET. VIRGO
TRINUS. ET. UNUS

Cuſpi-

Cuſpidibus Enſis erecti & Trigoni imponitur Nomen DEI ſanctiſſimum

JEHOVA

VERBUM. CARO FACTUM. EST
ZEPHYRIS SPIRANTIBUS
MESSIAS SPIRITUS

IRA PLACATA

⊖ ♀ ☿

HOMO

§. 7. In altera facie habentur ſequentia:

✠ FRANCISCUS. II. D. G. SAXONIÆ.
ANGARIÆ. WESTPHALIÆ. ET. HADELERIÆ
DUX

PROPITIO DEO SECURUS AGO
SIMPLICITAS ET RECTUM TUUM
RUTA VIRESCET
DEO
SIBI ET PROXIMO
MIRABILIS
DEUS EST IN
OPERIBUS SUIS
POSUI TIBI PUNCTUM
ET REDUCAM
TE
SAPIENTIÆ DIVINÆ MUNUS
TA ND EM
⊙
C

§. 8. Fran-



§. 8. Franciſcus hic II. aliàs Junior dictus, fuit filius Franciſci I. natusque eſt circa annum Chriſti 1543. & obiit 1619. Pater fuit XIX. liberorum. Filius ejus Julius Henricus natus eſt anno 1587. obiit 1665. & reliquit filium Julium Franciſcum nat. 1640. in quo, anno 1689. ſine maſculis heredibus mortuo, ſtirps Saxo-Lauenburgica defecit.

§. 9. Alium Nummum ex argento Chymico factum in Gazophylacio Illuſtrisſimi ac Celſisſimi Comitis Schwartzburgici, qui Arnſtadii Thuringiæ reſidet, Prudentiæ Numismaticæ amantiſſimi latere, ex literis Clariſſ. Dn. Tenzelii intellexi, qui ejusdem Nummi ectypum hic expreſſum pro ſuo in me favore procuravit, cujus limbi ſequentes, easque Belgicas habent inſcriptiones.

✠ Langſt gewreſt, eerſt gevonden:
Door Goots gaeſt te deſer ſtonden
t koompt van Godt
Dit Edel Lot. A. 1652.

Cap.

✠ Vant' geen, dat Elck Verſmeet, ben ick in t' weſen bracht.
Die k' eer maer Vullis Was, bral nu met d' hoochſt pracht.





Cap. III.

De Ænigmatibus nonnullis Chymicis.

Ænigmatum Chymicorum antiquisſimum eſt illud Sibyllinum, quod reperitur & explicatur in Libr. X. Hieronymi Cardani de Varietate rerum cap. L I. p.697. ubi circa finem indicat occaſionem, quâ inſtigatus eſt, hoc carmen explicare; relictis autem reliquis, quæ in dicto capite de Chymia proponit, ea tantum, quæ ad ænigmatis Sibyllini ſolutionem ſpectant, adducere volui.

§. 2. *Plurima* (inquiens,) *de his*, (nempe Gemmarum & metallorum transmutatione & alteratione) *in libris de Secretis ſcripſimus, quædam etiam in libris de Subtilitate: Sed cum in hos ſermones incidiſſem, probari hanc artem illuſtris* E-

 marus

marus Ranconetus *Præſes Lutetianus demonſtravit carmine Sibyllino: adeoque ad amusſim, ut cum ambigua ſoleant eſſe talium reſponſa, hac in cauſa clariora Solis luce ænigmatis verba fuiſſe videantur: Itaque quæ ille doctus Vir miro expresſit artificio, prout ab illo accepi, dum Lutetiæ eſſem, ſubjungam.*

§. 3. Ea autem ſunt:

Ἐννέα γράμματ᾽ ἔχω τετρασύλλαβός εἰμι, νόει, με
Αἱ τρεῖς, αἱ πρῶται; δύο γράμματ᾽ ἔχουσιν ἑκάστη,
Αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά. Καὶ εἰσιν ἄφωνα τὰ πέντε,
Τοῦ παντὸς δ᾽ ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς, ὀκτὼ
Καὶ τρεῖς τρεῖς δεκάδες σὺν τ᾽ ἑπτὰ γνοὺς δὲ τίς εἰμι,
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ᾽ ἐμοὶ σοφίης.

§. 4. *Dicit igitur eſſe nomen novem conſtans literis, quod quatuor continet Syllabas, quarum tres primæ duas tantum continent literas, reliqua reliquas, ſc. tres. In hoc nomine* ἀρσενικὸν *videntur omnia pulchrè congruere: Nam quatuor conſtat Syllabis,* αρ, σε, νι, κον, *quarum prima tres, duas ſingulæ continent literas, quarta & ultima, tres, ita ut ſint in Univerſum novem Elementa. Atque hæc omnia clarisſima ſunt Experientia, quæ manifeſtè Græcè producuntur.*

§. 5. *Subjicit deinde, quod ex his quinque ſunt mutæ, ut intelligamus quatuor tantum eſſe vocales, A, E, I, O, reliquas quinque appellavit mutas, id eſt, non vocales, quæ ſunt,* ρ, σ, ν, κ, ν, *Inde* addit, *quod numerus, qui literis his ſignificatur mutis, eſt,* ἑκατοντάδες δὶς ὀκτὼ καὶ τρεῖς τρεῖς δεκάδες, *id eſt, bis centum & octies atque ter tribus decadibus continetur: quod eſt novies atq; octies decem, quod eſt, centum ſeptuaginta, ut totus numerus ſit CCCLXX. Is autem ſignificatur quinque literis mutis, ſi eam, quæ replicatur, id eſt,* ν, *ſemel tantum ſumpſeris: Nam aſſumptis,* ρ, σ, ν, κ, *tantundem conficitur apud Græcos.* ρ *ſignificat centum,* σ *CC,* ν *L,* κ *XX, collecta faciunt*

ciunt CCCLXX. Inde ſubjungit, σὺν τ᾽ ἑπτὰ quod eſt,], CCC ſignificat, & ἑπτὰ ſeptem, ſc. decades. nam refertur ad ſuperiora.

§. 6. *Solum videtur elocutionis congrua ratio tribus modis repugnare δὶς ἑκατοντάδις, & ἑπτὰ δεκάδες: & σὺν, pro cum. Abjicit etiam ν alterum: Cum hoc Sibylla hauddicat, & pro χ. ſeu ᾿χ. legit τ. Nam Codex habet σὺν χεπτὰ, quod eſt, cum ſeptem ſc. additis; dixit: quod facile verum eſſe poſſet, inter χ & τ parum intereſſe quoad formam. Tandem concludit, qui hoc noverit, non erit ſuæ ſapientiæ expers.*

§. 7. *In quo & illud mirum videri poſſet, quod tam procul vates abſcedat à propoſito. Sed hæc & majora longe ſunt vatum privilegia & maxime lymphaticarum & fanaticarum.*

§. 8. *Accedit illud, quod res ipſa verbis & nominis expoſitioni congruit, ut alias docuimus: nam & arſenicô æs in argenti ſimilitudinem tranſit, & in auripigmento aurum continetur, ſi non hoc aliud quippiam Sibylla indicare potuit valde utile.*

§. 9. *Utcunque ſit, omnino vel admirabilis eſt interpretatio vel inventio: Saltem ut non indigna eſſet libris de Subtilitate, ſi illi jam non perfecti eſſent: Sic igitur in Arſenico fundamentum alicujus præſentis utilitatis atque initium operis, ſicut in Calchanto initium transmutationis ferri in æs: nam & confeſtim color immutatur.*

§. 10. Minimè negligenda ſunt, quæ Olaus Borrichius, in diſſert. de ortu & progreſſu Chemiæ p. 100 de Arſenico, quod in hoc ænigmate Sibyllino commendatur, habet; *Ἀρσενικὸν ſive ἀῤῥενικὸν,* inquiens, *maſculum quiddam Græco idiomate ſignat. Antiquam igitur Sibyllam Sulphur quoddam ignibus omnibus infatigabile per nebulam, hic oſtendiſſe, quando metalla etiam nobiliora ex ſulphure tanquam maſculo & Mercurio, tanquam fæmella, Chemicorum ſchola componat, exiſtiman-*

mandum eſt, Ut vel hinc liqueat, quam non improvidè ſcripſerit Hermolaus Barbarus inſtaurator politioris literaturæ; Arſenicum ſive arrhenicum Chymiſtis Democriteis quandoque Androdamanta appellari, quandoque Comarin Scythicam, quandoque hæc ipſa nomina ſulfuri Lapidis Philoſophici accomodari.

§. 11. Simile ferè ænigma proponit Fr. Baſilius Valentinus in libello de Macro-Coſmo p. 154.

Fünf Bücher hat uns zugericht V
Moſes allein durch Gottes Gedicht/
Die weniger Zahl ſein Büchern folgt/ I
Waß da geboten iſt ſeinem Volck;
Drey Patriarchen ſtumm C T R
Erklärens in einer Summ:
Ein Zeuge red't mit höchſter Stimm/ I
Wer gar nichts gilt/ iſt lehr im Sinn: O
Fünfzig iſt mehr/den fünf die Zahl/ L V
Und ſind doch nur zwey überal:
Tauſend Beſchlieſens/Und zugleich M
Wers verſteht/ iſt gantz reich:
Fünff Ding im Lebē ſolches offenbahrē/ *quinq; vocal.*
Und funf im tod dabey auch waren/ *quinq; Conſonæ*
Vier die ſprechen das Urtheil auß/ *quatuor ſyllabæ,*
Daß einig allein richt't nur den Strauß.

§. 12. Alii paulò aliter idem exprimunt ænigma nempe;

Zehen Buchſtaben werd'n geſetzt/
Eines nach fünftauſend zuletzt/
Fünff Syllaben auß fünff vocal
Machet tauſend 61 die Zahl.

Hun-

Hundert auch damit hin laufft/
Alſo iſt deſſen Nahm getaufft.
V I C tr I o L V M
M C L V V I I

§. 13 Aliud ænigma veteribus Philoſophis adſcribitur, quod communiter quoque de Vitriolo explicant, quia ex literis vocum initialibus hoc nomen colligitur: eſt autem tale: *Viſitabis Interiora Terræ Rectificando, Invenies Occultum Lapidem, Veram Medicinam*:

§. 14. Aliqui tamen neque hoc, neque antecedens ænigma de Vitriolo communi intelligendum eſſe putant, ſed potius de Antimonio, quod â Germanis Spießglas appellatur, nec ineptè, â Vitri ſimilitudine, Vitriolum dici poteſt.

§. 15. Le *Sieur de Nuiuſement* in Tractatu de L'harmonie & conſtitution generale du Vray Sel, Præfationi adjungit ſequens ænigma:

Sur la Figure de l'Eſprit General du Monde

Il eſt une parti en l'homme,
Dont le nom ſix lettres Conſomme,
Auſquelles un P *adjouſtant,*
Puis S *en* M *permutant,*
Tu trouvera ſans nuls ambages,
Le vray nom du ſubject des Sages.

§. 16. Idem ænigma *Joh. Rudolph. Glauber* in Pharmacopœjæ ſpagyricæ parte VI. c. 25. ita exprimit:

Artem

Artus, eſt hominis qui Conſtat ſex elementis,
Cui P *ſi addideris* S *in* M *mutare ſi beneſcis,*
Hoc erit æs noſtrum Conſtans Lapis Philoſophorum

§. 17. Artus ſive membrum hominis ſex elementis Conſtans eſt LUMBUS, cui ſi P præponatur, fit PLUMBUS, ſi denique S. mutetur in M prodibit PLUMBUM, per quod iterum haud incommode intelligi poteſt Antimonium.

§. 18. Denique in Tractatu Johan. de Monte-ſnyders in fine Tabulæ Hermeticæ invenitur ænigma, quo ſcripti ſui compendioſam declarationem contineri adſerit. Conſtat autem ex ſeq. quatuor diſtichis Germanicis.

Es glaube wer es will / es ſey ihm frey geſtellet /
Gewiß ich ziele ſtäts auffs Zeichen dieſer Welt.
 Der trockene Neptun und Venus machen fliegen
 Die Schlange / welche doch ſonſt ſtäts muß unten liegen /
Es zwinget Mars die Welt durch Niter und durch Schwebel /
Und Bacchus hält die Seel und ſchützt des Geiſtes Nebel.
 Der ſtarcke Geiſt regirt die Seele würckt dabey /
 Gedenck / das Bacchi ſitz / die Erde nöthig ſey /

§. 19. Hos verſiculos, ita per ſigna explicari poſſe conjicio:

Scias me pro Scopo habere ♁,
⊖ & ⊕ reddunt volatilem
☿um ſubjectum univerſale,
♂ cogit ♁ per ⦶ & per 🜍,
🜿 Conſervat animam & defendit ſpiritum,
Spiritus regnat, anima ſimul operatur,
Memento Bacchi baſin, nempe 🜿 requiri.

CAP.

Cap. IV.
De Auro ex Auripigmento.

§. 1.

Auripigmentum teſte *Vitruvio Libr. 7. c. 7. §. 10.* Græcè *ἀρσενικὸν* dicitur, & ad differentiam Arſenici albi vocatur Arſenicum Croceum : In Auripigmento aurum contineri, Cardanus non tantum capite præced. §. 8. in fine ſtatuit, ſed Plinius quoque ex Auripigmento aurum factum eſſe probat.

§. 2. Verba Plinii l. 34. c. 4. ſunt : *Aurum faciendi eſt etiam una ratio, ex auripigmento : invitaveratque ſpes Cajum Principem avidiſſimum auri : Quamobrem juſſit excoqui magnum pondus (ſc. auripigmenti) & plane fecit aurum excellens : Sed ita parvi ponderis, ut detrimentum ſentiret, illud propter avaritiam expertus ; Quanquam Auripigmenti libræ XIV. permutarentur : nec poſtea tentatum ab ullo eſt.*

Cap. V.
De Ægyptiorum Chryſopœia, nec non de Aureo Vellere.

§. 1.

De Chymica Ægyptiorum ſcientia nemo veterum, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, apertius ſcripſit, quam Suidas, qui juxta *Gerhard. Johann. Voſſium de Scient. Mathem. cap. 60. §. 12.* Anno Chr. CIↃ XXXXIX claruit.

§. 2. Verba ejus in dictione *χημεία* ſunt: *Chemia eſt auri & argenti confectio : cujus libros Diocletianus conquiſitos cremavit, propterea quod Ægyptii res novas adverſus illum moliti*

liti fuerant, quos duriter atque hoſtiliter tractavit: eodemque tempore libros de Chemia auri & argenti ab antiquis ſcriptos conquiſivit atque incendit: ne deinceps Ægyptii arte illa divitias compararent, neu pecuniarum abundantia confiſi deinceps adverſus Romanos rebellarent.

§. 3. Licet autem hanc relationem celeberrimus ille Polyhiſtor Hermannus Conringius in opere ſuo de Hermetica Medicina elevet, ac propterea potiſſimum in dubium vocet, quod de rebus tempore Diocletiani, & ſic octingentos annos ante ipſum geſtis ſcripſerit; Olaus Borrichius tamen in diſſertatione ſua de ortu & progreſſu Chemiæ pag. 88. egregiè eam defendit, dum ſcriptores Diocletiano proximos recenſet, ex quibus Suidas ſua ſe mutuatum eſſe agnoſcit.

§. 4. Idem Suidas in dictione δέρας ita ſcribit: *Vellus aureum, quod Jaſon per mare Ponticum cum Archonautis in Colchidem trajiciens accepit, & Medeam Æetæ Regis filiam. Hoc autem non, ut Poëticè dicitur; ſed liber erat in pellibus conſcriptus continens, quomodo per Chemiam aurum conficeretur. Veriſimile eſt igitur, illos per id tempus Vellus aureum nominaſſe propter fructum & emolumentum, quod ex eo libro percipi poterat.*

§. 5. Obiter hoc loco aliqua de equeſtri Aurei velleris ordine dicenda veniunt, quem ex mente Franciſci Menenii in deliciis ordinum equeſtrium pag. 135. *Anno. clɔ CCCCXXIX vel clɔ lɔ XXX. menſe Januario a Philippo Bono Burgundiæ Duce Burgis Flandrorum inſtitutum eſſe putant, exemplo Gideonis, fortiſſimi Iſraëlitarum Ducis, cujus hiſtoria Judic. VI. de Vellere ſicco, rorulentoque, ſe ſpectaſſe innuit Philippus, tapetibusque illis antiquiſſimis (qui ab ejus usque ætate in ordinis hujus anniverſariis & B. Andreæ Apoſtoli feſto die in ſacello Principum Belgii ſpectandi exhiberi ſolent, poſteritati reliquit.*

§. 6. Alii contra *Chryſomalli, ſive aurei velleris inſigne inſtitutum jam olim in ſacra Thebæorum legione floruiſſe contendunt.* Arnoldus Wermannus in Theatro ſuo.

§. 7. Incertitudinem cauſæ impulſivæ ſatis innuunt verba, quæ laudatus Menenius ex Petro a S. Juliano in Orig. Burgund. cap. 28. allegat, *ſive*, inquit, *hoc Philippi fuit conſilium, Vellus Gideonis præ oculis habentis, ſive ad ſplendorem, quem ſpectabat, accommadatè, quosdam, ut Jupiter, ſic majorum minorumque gentium Deos, quibus imperaret, habere cupiebat; ſive contra Gallos novis ſe ſocietatibus atque amicitiis firmaret: ſive Jaſonis exemplo Argonautas legeret, quibuscum uti ille in Colchida Velleris rapiendi ergo ad Aëtem: Sic in Syriam in Turcas proficiſceretur: ſive quæ alia fuit hujus conſilii ratio, magno hominum applauſu res eſt excepta, multaque ad ordinem cohoneſtandum decora ſunt adhibita. Quibus rebus id eſt effectum, uti magna omnium admiratione ordo coleretur, ſæpiusque à Philippo, inde à Carolo Senatus novi ordinis haberentur.*

Cap. VI.
De Argento Vivo.

§. 1.

Thomas Aquinas Italus, princeps Scholaſticorum, qui floruit Anno Chriſti clↄ CCL in librum Ariſtotelis Meteororum 3. ad finem, metalla ex Argento vivo naſci ſtatuit, *Metallorum*, inquiens, *propinqua materia ſunt ſulphur & argentum vivum, ſicut Alchemiſtæ dicunt: Ita quod in locis lapidoſis terra, per virtutem mineralem generatur Sulphur & Argentum vivum, deinde ex ipſis generantur diverſa metalla, ſecundùm diverſam commixtionem eorum: Unde etiam ipſi Alchemiſtæ per veram artem Alchemiæ, ſed tamen difficilem, propter occultas*

"operationes virtutis cæleſtis, quæ mineralis dicitur, quæ "ex eo, quod ſunt occultæ, â nobis imitari poſſunt, per "prædicta principia, vel per principiata ab ipſis, faciunt ali-"quando veram metallorum generationem.

§. 2. Haud inutile erit miram de argento vivo recenſere hiſtoriam, quam habet *Olaus Borrichius in ſua diſſ. de Ort. & Progreſſ. Chemiæ p. 102. & ſeqq.* quæ talis eſt: San-ſimoni-"us & ſæpè & ſanctè me audiente coràm affirmavit, ante "hos viginti circiter años (nempe circa A^um 1648.) cum Con-"dæus Princeps Hiſpanorum partibus addictus, per Flandri-"am Brabantiamque bello fulminaret, filium ſuum, nunc Du-"cem de Enguien, Bruxellis ſtudiorũ causâ reliquiſſe, magno "ſapientum Virorum ſatellitio ſtipatum, quos inter San-"ſimonius Heydelbergenſis domo, longâ aſſuetudine Gal-"lus, Vir, ſi quis alius, animo & fide Germanus, & â "nugis alieniſſimus:

§. 3. *Pergit laudatus Borrichius, hoc modo:* Adit "ergo San-ſimonium hunc Bruxellis tum viventem, &, ut "ſit, animi gratia naturæ ſecreta per otium ſollicitius in-"veſtigantem, Leodienſis quidam, ignoti vultûs, ignoti "nominis, in corporis cultu modicus, &, Audio, inquit, "Domine, te ad curas quandoque Chemicas deſcendere, "& nobili hoc otio genium oblectare, ſed ab ignaris rerum "ſecretarum Magiſtris pendere nimium, eoque nihil hacte-"nus ſpectaſſe admirabile; Ecce! ut oculis tamen uſurpes "coràm, non omnia vana eſſe, quæ Chemicum profitetur "ſtudium, pulviſculum hunc minutum quidem, ut vides, "& vix granum hordei unum pondere æquantem, tuæ fi-"dei committo, eâ lege, ut poſt horas ſex revertenti mi-"hi reddas integrum, interea ut curioſitati tuæ obſequa-"ris, ita procedito: Cape ſis ex profluente, vel quavis

alia

alia fontana aqua libras tres, quatuorve, quibus vitro ex-"
ceptis pulviſculum hunc incerne,mox repetito opere va-"
ſculum ſubinde quaſſa, ut aqua ex pulviſculi admixtione"
tenue quiddam abradat, ſecumque incorporet : Elapſis"
horis aliquot ſubſidentem pulviſculum translato per in-"
clinationem in vas aliud liquore, ſicca, ut mihi bonâ fide"
reſtituas. Paret San-ſimonius, & dicto obedientem ſe"
oſtendit, ambiguus futuri.

§. 4. Redit ſub veſperam Leodienſis, pulviſculum"
ſuum recipit, & ad San-ſimonium verſus, Vires, inquit, "
aquæ tuæ jam me abeunte periclitare, infuſisque aliquot"
Mercurii vulgaris unciis,germinationem utilem exſpecta: "
Et ſimul paucis ultro citroque dictis recedit.

§. 5. Sanſimonius rei bene gerendæ cupidisſimus, "
Mercurii mox uncias octo obiter infundit, & aliquan-"
diu, ſi qua argenteus ille ramus in illuſtre germen ſeſe"
porrigere moliatur, oculis inconnivens ſpectator vitro"
frigido aſſiſtit. Dictum factum. Surgit paulatim ex"
globo ſuo Mercurius, & mille ramulis argenteis, quaſi"
totidem filis tenuisſimis æqualisſimisque per univerſam, "
qua patet, aquam gloriosè ſe explicat, ſupra etiam ſupre-"
mum aquæ marginem filamentorũ extrema protendens."

§. 6. Superficies autem lymphæ, quod ſtudioſe"
cuſtodiendum, interea oleoſo quodam liquore, hinc in-"
de reſperſa notabatur; quod, opinor, craſſum quiddam,"
heterogeneumque contineat vulgati uſus Mercurius, cu-"
jus interventu a coagulatione prohibetur, quo per ſub-"
tile artificium remoto, partes ejus ſe facile mutuis faci-"
ebus amplexantur, hærentque tenaciter, & conſtantis"
metalli titulum ſibi vendicant.

§. 7. Sanſimonius poſtridie aquâ vitro alii infuſâ,
“filamenta hæc omnia colligit, expreſſoque manu humo-
“re, ad vicinum mox fabrum argentarium deportat, ro-
“gat officioſe, velit per omnia examina ſcrutari metalli
“hujus ingenium, & conſtantiam ejus in ignibus pericli-
“tari. Mirum quiddam, & inauditum deprehenditur,
“poſt univerſa ignis ſupplicia, argentum probatiſſimum,
“& nihilominus ſine igne ita ſe permiſerat cicurari in fe-
“neſtra, Octobri menſe, utcunque aër Bruxellenſis ad fri-
“gidum id temporis inclinet, ſuppeditante ſatis virium, ad
“expellendum illud excrementitium oleum, ſale illius pul-
“viſculi, ab aqua, per intercurſum primi, ſecundique ele-
“menti Carteſiani ad motum incitato.

§. 8. Sanſimonius audacior ſucceſſu, reſtanti aquæ
“novum infundit Mercurium, novum videt nemus con-
“ſurgere priori gemellum, inque ſinceriſſimam argenti
“maſſam immutatum; Experitur idem tertio, quarto,
“quinto, ſexto, felici ſemper eventu, langueſcente tamen
“paulatim, & noviſſimè fatigata aquæ virtute; Quo fa-
“ctum, ut plures ad ſpectandum miraculum in domum
“ſuam invitaret, quos inter Principes aliquot Angli, Bruxel-
“lis tum forte commorantes.

§. 9. Leodienſem hunc, fuiſſe natione Burgundum, ex relatione generoſi nunc ἐν ἁγίοις Joh. Chriſtophori à Nemmitz colligo, qui circa idem vel paulo ante illud tempus Lovanii ſtudiis dedit operam, & cum ejusmodi Viro Juvene convictum habuit, de quo laudatus Dominus Nemmitz mira narravit, non tantum mihi, ſed etiam Dn. Morhofio, qui ea annotavit in tractatu ſuo de Metallorum transmutatione p. 110. 111.

§. 11. Ex

§. 11. Ex Hydrargyro mediante Argento fieri poſſe argentum, evincit proceſſus, qui deſcribitur in *Actis Philoſophicis Anglicanis* 1668 p. 689. Ubi hæc habentur:

Recipe Aquam fortem vulgarem, abſtrahe ex dua-" bus partibus vitrioli & una ſalis nitri, adjice argen-" tum puriſſimum, impone carbonibus candentibus, ita ut" modicè calefiat. Infunde Mercurium & ſuccreſcent ra-" muli argentei.

§. 12. *Athanaſius Kircherus*, licet diu Chryſopœiam in dubium vocaverit, accerrimé illam oppugnando, uti apparet ex *Olai Borrichii Diſſ. de Ortu & progreſſu Chemiæ* p. 72. *& ſeqq.*, Videtur tamen mentem ſuam mutasſe, quando in Itinere ſuo Ecſtatico mira de unctuoſa & viſcoſa Metallorum materia prodit, per quam nihil aliud intelligere videtur, quam Mercurium ſive argentum vivum ritè præparatum.

§. 13. In *itinerarii II. Dialogo III. cap. 4.* iter ſubterraneum fingit, & pag. 663. ſic ſcribit: Semen Cœleſte" primo communicat aëri, hic illud aquæ, hæc illud ſibi" intra terræ viſcera traductum, interioribus partibus varie" digeſtum, coctumque communicat. Ex hiſce intra Geo" coſmi uteros varie commixtis, mediante igne, naſcitur vapor, qui in liquorem tandem reſolutus, per poros & vibras terræ continua & iterata circulatione, veluti per multiplicata quædam alembica, depuratus defœcatusque unctuoſitatem quandam, viſcoſitatemque acquirit: atque hoc eſt illud humidum Unctuoſum, ſeu aquæ viſcoſum, omnium metallorum proxima Materia.

§. 14. Paulo poſt nempe p. 666. denuò laudat humidum illud viſcoſum, dum Cosmielem introducit ſic loquentem: Vidiſti paulo ante nonnulla Hydrargyri ſeu ar-

argenti vivi ſtillicidia. Quod autem vidiſti argentum vivum, non eſt illud ex univerſalibus naturæ principiis unum, quod humidum radicale diximus, ſed argentum vivum quod vidiſti commune & vulgare eſt, & nihil aliud eſt, quam humidum unctuoſum, viſcosumque, aquæ & aëris leviter coctum digeſtumque, quod quidem proximè non concurrit ad Metallorum generationes, ſed in centro ejus latet humidi radicalis viſcoſi, ex aqueo & aërio ſemine conſtituta portio, qui verus ille a Philoſophis intentus Mercurius, a Sulphure & ſale naturæ inſeparabilis, inviſibilis & incorruptibilis dicitur, ad omnium Mineralium Metallorumq; compoſitionem concurrens.

§. 15. Eſt tamen comunis hujus Mercurii ſubſtantia miris Naturæ dotibus inſtructa, ex humido æque & ſicco, ex calido & frigido pariter temperata, unde ob innati calidi in centro ejus latentis abundantiam in perpetuo quidem motu eſt, ob ſiccitatem vero ei concentratam nihil, quod tangit, madefacit; Miranda quadam naturæ libertate gaudens, neq; ad humidum magis, quam ad ſiccum, neque ad calidum magis, quam ad frigidũ, determinatur, quamvis manifeſtã qualitatem in humido, occultam in calido maxime exhibeat.

§. 16. Pharmacopolam quendam Terviſanum, coram Principe & Sapientibus Reip. Venetæ argentum vivum comutaſſe in aurum, teſtatur *Hieronymus Cardanus Subtilitatum lib. 6.*

Cap. VII.
De Cinnabari.

§. 1.

Cinnabaris eſt vel nativa, vel factitia. Nativa ex fodinis effoditur, & facile in Hydrargyrum permutatur.

§. 2. Fa-

§. 2. Factitia ex Hydrargyro præparatur, dum illud adjuncto Sulphure communi ſublimatur.

§. 3. Hanc mineram in Argentum mutari poſſe Chemici putant. Hinc Joh. de Monte-Snyders in Tract. de Medicina Univerſali p. 98. & 171. Reg. 132. ita ſcribit: Der Zinnober wird vermittelſt eines firen Leibes und Metalliſchen Saltzes in Silber verwandelt/ hoc eſt, Cinnabaris beneficio corporis fixi & ſalis metallici in argentum commutatur.

§. 4. Joh. Baptiſta de Porta duos modos figendi Cinnabarim præſcribit, in Magiæ Naturalis l. 5. c. 6. circa fin. quorum poſterior ita ſe habet: Infractas cinnabaris partes ad teſſerarum magnitudinem in oblongum linteum ſaccum accommodabis, ollæ lateribus undique diſtantem: inde lixivium acerrimum fundas ex alumine, tartaro duplo, vivæ calcis quadruplo & cineris roboris æquali portione confecto, uti fieri ſolet, vel ratione aliquâ parandum per diem ebullire ſinas, exime, & ebulliat cum oleo, jugem operam impendas, & integram cum nocte diem ſinito quoque illic eſſe, & exemptas ex oleo cinnabaris partes ovi albumine ſubacto perlinito, at in tertia parte elimatæ argenti ſcobis revolvito, in fundo apti vaſis ſubſternito, rite ſingulari creta munito, ut diximus, ignem adhibe diebus tribus, & tam poſtremo augeſcat, ut igni cedat & ferè liqueſcat, detrahe & ex fecibus extremo argenti examine perluito, & ad verum & naturale perducito.

§. 5. Huic ſubnectit aliam eamque jucundam operationem; Erit, *inquiens*, vuluptuoſum è fixo Cinnabari argenteam barbam elicere, ſi vaſe eodem accomodabis igne inferius lentè admoto, argentum autem ſpirituoſum,

"nec plumbum expertum, uti Sylva erectum cernes ca-
"pillamentum, uti nihil fuerit viſu jucundius.

CAP. VIII.

De Argenti in aurum mutatione.

§. 1.

SEptem illorum Metallorum duo duntaxat perfecta eſſe ſtatuuntur, unde multi, qui traſmutationem quinque metallorum imperfectorum aliàs negant, ex argento tamen aurum fieri poſſe, tacitè concedunt, ut inter alia videre eſt ex illis, quæ Hieronymus Cardanus Subtil. l. 6. habet: Quod tamen, *inquit*, Metalla permutari poſſint, multis "viſum eſt, ob experimentum æris jam ſuperius adductum: "Videntur etiam permutare colorem, & pondus ob "ignem, quare & ſubſtantiam veriſimile eſt mutari "poſſe.

§. 2. Creditum etiam eſt quoſdam id feciſſe, ut "apud Illuſtr. Venetorum Principem paucis ante annis, "aſſiſtentibus ſapientibus civitatis, à quodam Tar-"viſino Pharmacopola, cujus rei adhuc manent veſtigia.

§. 3. Cumque herbarum ſpecies quædam invicem "viciſſim permutentur, haud mirum videri debet, metal-"la permutari poſſe. Verum non ita ſe res habet, nam "aut nulla, aut non omnia poſſunt invicem permutari.

§. 4. Ferrum enim & Æs, cum ambo pondere & "tenuitate ſimilia exiſtant, nullusque eorum ignibus reſi-"ſtat: ſi colorem mutet & duritiem, ex altero in alterum "poſſunt traduci, aut fere aut abſque manifeſto diſcrimi-"ne ſaltem reliquorum metallorum nullum in aurum aut "argentum mutari poteſt.

§. 5. So-

§. 5. Solum illud dubium eſt, an argentum in au-"
rum poſſit mutari? Quod fieri poſſe exiſtimo: Nam ex ar-"
gento ut aurum fiat, deſunt denſitas, ob quam ponde-"
roſius fieri oportet, & color. At hæc metallo addi poſ-"
ſunt; ſi denſius redditur argentum, pinguedo abolebi-"
tur," & ignibus melius reſiſtet, atque, ut dixi, pondus"
acquiret.

CAP. IX.
De Auri Chemici bonitate.

§. 1.

AUrum vel argentum Chemicum abſolute rejiciendum eſſe, multi ſtatuerunt, unde Chemici in Jure Canonico falſariis æquiparantur, illiſque capitalis dictatur pœna, uti ex ſequentibus patebit. Interim non tantùm JCtos ſed etiam Philoſophos & quidem Scholaſticos fuiſſe, qui Aurum veré Chemicum approbaverint, certum eſt.

§. 2. Nunc ſufficiat unicum ex Scholaſticis adduxiſſe, nempe Thomam Aquinatem, qui in 2da IIæ Quæſt. 77. art. 7. ita Scribit: *Si autem per Alchemiam fieret aurum, non eſſet illicitum pro vero vendere, quia nihil prohibet, artem uti aliquibus naturalibus cauſis, ad producendum veros & naturales effectus: ſicut Auguſtinus dicit.* l. 3. de Trin. c. 8. de his, quæ arte dæmonum fiunt.

§. 3. Idem in 2da IIæ Quæſt. 96. art. 2. pergit his verbis: *Quod ſi ſimpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non eſt ſuperſtitioſum vel illicitum iis rebus vel effectis uti.*

CAP. X.

De iniquis Chemiæ aliarumque Diſciplinarum rariorum cenſoribus, & in ſpecie de Geographorum Antipodibus.

§. 1.

HAud rarò accidit, ut homines ſententiam ſaniorem, præjudiciis ac opinionibus ſuis perverſis adverſam, quaſi falſam, condemnent, quemadmodum ex hiſtoriis tàm ſacris, quàm profanis probare poſſemus, niſi tempori ac benevoli lectoris patientiæ parcendum eſſet. Imprimis etiam hoc ex variis præjudiciis apparet, dum non ſolùm Pontifices, ac JCti, ſed hiſtorici quoque, hujus diſciplinæ ignari, ejusdem cultores dente maledicó carpere ſolent.

§. 2. Exemplum nobis ſuppeditat Joh. Spedi, qui in Theatro ſuo Magnæ Britanniæ L. 1. C. 6. p. 11. n. 7. hæc habet: *Parvas villulas Ockam & Ripley, non inter minimas Comitatus Surriæ referre licet, cùm inde prodierint celebrioris famæ viri GUILIELMUS OCKAM, profundus ille Philoſophus, & ad miraculum eruditus; GEORGIUS q. RIPLEY, Alchemiſtarum noſtrorum & myſticorum impoſtorum anteſignanus, ambo in hac provincia & admodum propè ſibi invicem nati.*

§. 3. Similibus ignorantium telis expoſiti fuerunt Mathematici nonnulli, & quidem Geographi, terræ globoſitatem ſtatuentes, in quod graviſſimè invehit Cœlius Lactantius, facundiſſimus Primitivæ Eccleſiæ Doctor, qui ſub imperatore Diocletiano floruit, & libros ſeptem Inſtitutionum Divinarum ſcripſit, Lib. 3. C. 24. dict. Inſt. Antipodes dari negat, quia tellurem rotundam eſſe non credit;

Quid

Quid illi, *inquit*, qui eſſe contrarios veſtigiis noſtris An-" tipodas putant, num quid aliquid loquuntur? aut eſt" quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quo-" rum veſtigia ſint ſuperiora, quam capita? aut ibi, quæ" apud nos jacent, univerſa pendere: fruges & arbores deor-" ſum creſcere, pluvias & nives & grandines ſurſum verſus" cadere in terram? miratur aliquis hortulos penſiles inter" ſeptem mira narrari, cũ Philoſophi agros & maria & urbes" & montes penſiles faciant? Hujus quoque erroris ape-" rienda nobis origo eſt. Nam ſemper eodem modo fal-" luntur. Cum enim falſum aliquid in principio ſumſe-" rint veriſimilitudine inducti, neceſſe eſt eos, in ea, quæ" conſequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicu-" la: quia neceſſe eſt falſa eſſe, quæ rebus falſis congru-" unt. Cum autem primis habuerint fidem, ea, quæ ſe-" quuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omni modo:" cum debeant prima illa, utrumne falſa ſint, an vera? ex con-" ſequentibus judicare. Quæ igitur illos ad antipodas ra-" tio deduxit? Videbant ſiderum curſus in occaſum me-" antium, Solem atque Lunam in eandem partem ſemper" occidere, atque oriri ſemper ab eadem. Cum autem" non perſpicerent, quæ machinatio curſus eorum tempe-" raret: nec quomodo ab occaſu ad orientem remanent;" cælum autem ipſum in omnes partes putarent eſſe deve-" xum, quod ſic videri immenſam latitudinem neceſſe eſt," exiſtimaverunt rotundum eſſe mundum ſicut pilam: & ex" motu ſiderum opinati ſunt, cœlum volvi, ſic aſtra Solemq;" cum occiderint, volubilitate ipſa mundi ad ortum referri." Itaque ætherios orbes fabricati ſunt, quaſi figuram mun-" di, eoſque cælarunt portentoſis quibuſdam ſimulachris," quæ aſtra eſſe dicerent. Hanc igitur cœli rotunditatem"

"illud ſequebatur, ut terra in medio ſinu ejus eſſet incluſa. "Quodſi ita eſſet, terram ipſam globo ſimilem: neq; enim "fieri poſſet, ut non eſſet rotundum, quod rotundo incluſum teneretur. Si autem rotunda etiam terra eſſet, ne"ceſſe eſt, ut in omnes cœli partes eandem faciem gerat, "id eſt, montes erigat, campos tendat, maria conſternat. "Quodſi eſſet, ſequebatur illud extremum, ut nulla ſit pars "terræ, quæ non ab hominibus cœteriſque animalibus in"colatur. Sic pendulos iſtos antipodas cœli rotunditas "adinvehit. Si quæras ab iis, qui hæc portenta defen"dunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam "cœli partem; hanc reſpondent rerum eſſe naturam, ut "pondera in medium ferantur, & ad medium connexa "ſint omnia, ſicut radios videmus in rota. Quæ autem le"via ſunt, ut nebula, fumus, ignis â medio deferantur, "ut cœlum petant. Quid dicam de iis, neſcio, qui, cum "ſemel aberraverint, conſtanter in ſtultitia perſeverant, & "vanis vana defendunt, niſi quod eos interdum puto joci "cauſsâ philoſophari, aut prudentes & ſcios mendacia ſu"ſcipere defendenda, quaſi ut ingenia ſua in malis rebus "exerceant, vel oſtentent. At ego multis argumentis pro"bare poſſem, nullo modo fieri poſſe, ut cœlum terra ſit "inferius, niſi liber jam concludendus eſſet, & adhuc aliqua "reſtarent, quæ magis ſint præſenti operi neceſſaria.

§. 4. Sed mittimus ſanctam hujus Patris ſimplicitatem, & ad Auguſtinum Epiſcopum Hipponenſem, paulò ſobrius philoſophantem, nos convertimus, qui ſeculis IV & V. floruit & libro XVI. de Civitate DEI ad Marcellinum c. IX. ita ſcribit. *Quod verò & antipodas eſſe fabulantur, id eſt, homines à contraria parte terræ, ubi ſol oritur, quando occidit nobis, adverſa pedibus noſtris calcare veſtigia, nullâ rati-*

ratione credendum eſt. Neque hoc ullâ hiſtoricâ cognitione didiciſſe ſe affirmant, ſed quaſi ratiocinando conjectant, eo, quod intra convexa cœli terra ſuſpenſa ſit, eundemque locum mundus habeat, & infimum, & medium, & ex hoc opinantur, alteram terræ partem, quæ infra eſt, habitatione hominum carere non poſſe. Nec attendunt, etiamſi figura conglobata & rotunda mundus eſſe credatur, ſive aliqua ratione monſtretur: non tamen eſſe conſequens, ut etiam ex illa parte ab aquarum congerie nuda ſit terra. Deinde etiamſi nuda ſit, neque hoc ſtatim neceſſe eſt, ut homines habeat, quando nullo modo ſcriptura iſta mentitur, quæ narratis præteritis facit fidem, eo quod ejus prædicta complentur. Nimisque abſurdum eſt, ut dicatur, aliquos homines ex hac in illam partem Oceani immenſitate trajectâ navigare ac pervenire potuiſſe, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus inſtitueretur humanum, quapropter inter illos tunc hominum populos, qui per ſeptuaginta duas gentes & totidem linguas colliguntur fuiſſe diviſi, quæramus, ſi poſſumus invenire illam in terris peregrinantem civitatem, quæ usque ad Diluvium Arcamque perducta eſt.

§. 5. Quamvis autem hoc loco Auguſtinus in eundem lapidem cum Lactantio impingere videatur, in eo tamen laudandus eſt, quod alibi, in Prologo nempe libri 3. de Trinitate, libertatem philoſophandi propriæ auctoritati præponat, *Noli*, inquiens, *meis literis quaſi Canonicis Scripturis inſervire. Sed illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede. In iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere.* Diſtinct. IX. c. 3.

§. 6. Tanta interim fuit Auguſtini auctoritas, ut octavo ſeculo VIRGILIVS Epiſcopus Salisburgenſis antipodes ſtatuens, à Bonifacio, tunc temporis Pontificis

per

per Germaniam Legato, monitus, cum ſententiam mutare nollet; coràm Pontifice Zacharia incuſaretur, quaſi alium ſtatueret mundum, alios homines, alium Solem & aliam Lunam. Cui Pontifex Reſpondit: Virgilium, ſi convictus eſſet, Sacerdotali dignitate privandum & Romam mittendum eſſe.

§. 7. Cæſar Baronius, celebris ille Annalium conditor, ad annum 748. ex eo, quod Virgilius etiam poſt hanc accuſationem Epiſcopatu functus ſit, eum non fuiſſe convictum, probat. Pergit allegato loco Baronius, *Dubitaſſe*, inquiens, *de ANTIPODIS* (Antipodibus) *non eſt hæreſis: Sed plures ſtatuiſſe Mundos, Divinæ repugnat Scripturæ, ac propterea hæreſis eſſe convincitur.*

CAP. XI.

De iis qui ob ſententiam de Syſtemate mundi Pythagorico damnati ſunt.

§. 1.

HAud abſimilis fortuna eſt illorum Aſtronomorum; qui ex quamplurimis phænomenis cœleſtibus deprehenderunt, cunctas apparentias melius per tellurem circa Solem cum reliquis Planetis mobilem, quam per globum terraqueum, in medio Univerſi affixum, explicari ac demonſtrari poſſe: hinc *David Origanus Glacenſis* ex Sileſia Academiæ Francofurtenſis ad Viadrum Matheſ. Prof. inter alia, quod terram in medio univerſi volubilem ſtatuit, in Chronico Aſtronomico Joh. Baptiſt. Riccioli *inter damnatos auctores* collocatur.

§. 2. Idem Ricciolus in Almageſti ſui lib. IX. ſect. IV. Cap. XL. prolixè agit de cenſura, quam retulerunt à

viris

viris doctis, & præcipuè â congregatione Cardinalium, officio inquiſitionis â Pontifice deputatorum, aſſertores motûs telluris & immobilitatis Solis.

§. 3. Eodem capite exhibet extractum decreti Cardinalium ſub Paulo V. editi d. 5. Martii anno. 1616, quo Nicol. Copernici, nec non Didaci Aſtunica de mobilitate terræ & immobilitate Solis, ut & Pauli Antonii Foſcarini Carmelitani opinio, de Pythagorico Syſtemate condemnatur.

§. 4. Cum autem doctiores Cardinalium animadverterent, Copernici ſententiam non eſſe abſurdam, ſed multa Reip. utiliſſima in iis contineri, unami conſenſu in eam iverunt ſententiam, ut ejus opera imprimerentur, correctis tamen nonnullis, in quibus ſc. non ex hypotheſi, ſed aſſerendo de ſitu & motu Terræ diſputat. Decretum illud Romæ 1620. publicatum Ricciolus *all. cap. 11. pag. 496.* integrum habet, cum iis, quæ corrigi debuerunt.

§. 5. Galilæus Galilæi Lynceus Hypotheſin Copernicanam in Dialogo de Syſtematibus Mundi Ptolemaico & Copernicano expoſitam & demonſtratam, ſolenniter abjurare coactus eſt. Sententiæ ſatis prolixæ ſequentia duntaxat verba ex Ricciolo apponere volui: *Cum tu Galilæe, fili quondam Vincentii Galilæi Florentini, ætatis tuæ annorum ſeptuaginta, denunciatus fueris anno 1615, quod teneres tanquam veram, falſam doctrinam: Solem videlicet eſſe in centro Mundi immobilem, & terram moveri motu etiam diurno, &c: item, quod objectionibus, quæ fiebant contra te, ſumtis ex Sacra Scriptura, reſpondebas, gloſſando dictam Scripturam juxta tuum ſenſum.*

§. 6. Paulo poſt ſententiam Galilæi in duas contrahunt propoſitiones ſequentes:

Solem eſſe in centro Mundi & immobilem motu locali, eſt propoſitio abſurda, & falſa in Philoſophia, & formaliter hæretica: quia eſt expreſſe contraria Sacræ Scripturæ

Terram non eſſe centrum Mundi, nec immobilem, ſed moveri motu etiam diurno, eſt item propoſitio abſurda, & falſa in Philoſophia, & Theologicè conſiderata, ad minus erronea in fide.

§. 7. Hanc ſententiam defendere, docere aut ſcriptam publicare prohibuerunt Cardinales Galilæo, & quidem ſub graviſſima pœna. Cum autem anno 1632 ederet Galilæus ſuum Dialogum, inquiſitione præcedente ſequenti anno 1633 talis à congregatione Cardinalium promulgata eſt ſententia: *Te Galilæum Galilæi reum hic de præſenti proceſſionali ſcriptura inquiſitum, examinatum & confeſſum, ut ſupra, ex altera dicimus, pronunciamus, judicamus & declaramus te Galilæum ſupra dictum ob ea, quæ deducta ſunt in proceſſu ſcripturæ, & quæ tu confeſſus es, ut ſupra, te ipſum reddidiſſe hinc S. Officio vehementer ſuſpectum de hæreſi, hoc eſt, quod credideris doctrinam falſam &c. conſequenter te incurriſſe omnes cenſuras & pœnas, à Sacris Canonibus contra hujusmodi delinquentes ſtatutis & promulgatis. à quibus placet nobis ut abſolvaris, dummodo prius corde ſincero & fide non fictâ coram nobis abjures, maledicas, & deteſteris ſupra dictos errores & hæreſes &c.*

§. 8. Tandem ſequitur ipſa Abjuratio à Galilæo pronunciata. *Ego Galilæus &c. annorum LXX conſtitutus perſonaliter in judicio, & genu flexus coram vobis, contra hæreticam pravitatem cenſoribus, habens ante oculos meos ſacroſancta Evangelia, quæ tango propriis manibus, juro me ſemper credidiſſe & nunc credere, & Deo adjuvante in poſterum crediturum omne id, quod tenet, prædicat & docet S. Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia. Sed quoniam à S. Officio mihi fuerat injunctum,*

ut

ut omninò desererem falſam opinionem, nihilominus ſcripſi & typis mandavi librum, in quo damnatam doctrinam tracto &c. idcirco judicatus ſum vehementer ſuſpectus de hæreſi &c. ideò volens ego eximere à mentibus Eminentiarum veſtrarum vehementem hanc ſuſpicionem adverſum me jure conceptam, corde ſincero & fide non fictâ abjuro, maledico, & deteſtor ſupradictos errores & hæreſes: &c.

§. 9. Denique in fine his verbis clauditur abjuratio: *Ego Galilæus ſupra dictus abjuravi, juravi, promiſi & me obligavi ut ſupra, & in horum fidem meâ propriâ manu ſubſcripſi præſenti chirographo meæ abjurationis, & recitavi de verbo ad verbum. Romæ in conventu Minervæ hâc die 22 Junii Ann. 1633.*

§. 10. Non tantùm autem Catholici, ſed etiam Reformati nonnulli ante XXXV circiter annos, ſententiam de Sole fixo & Tellure mobili, à Renato Des-Cartes novâ methodo explicatam, tantâ cum vehementiâ impugnarunt, ut propterea Carteſium Atheiſmi incuſare non erubeſcerent, quemadmodum abundè videre eſt, ex D. Velthuyſen aliorumque ſcriptis contra Jac. du Bois 1656 editis.

§. 11. Nihil jam dico de aliis diſciplinis Mathematicis, ob quas ſæpius artifices exellentiores in ſuſpicionem Necromantiæ apud rudiores venerunt. Cujus egregium habemus exemplum in acutiſſimo Mathematico & Chymico illo Anglico, Rogerio videlicet Bacone, qui juxta *Gerh. Johann. Voſſium de Scientiis Mathem. cap. 35. §. 31.* (ubi allegat *Joſephi Blancani Chronologiam Mathematicorum*) Anno Chr. cIↃ CC LV floruit. Hic Oxoniæ ob ſtupendam in rebus Mathematicis peritiam *doctor mirabilis* audivit, à dignitate quam geſſit, dictus eſt Joh. Cantuarienſis *id. Voſſ. in addit. ad Tract. de ſcient. Mathemat. p. 442.* mortuus eſt anno cIↃ CCLXXXIV, regnante in Anglica Eduardo I. miranda

adeò in Matheſi, & præcipuè Opticis præſtitit, ut ab invidis & imperitis apud Papam Clementem IV. magiæ dæmoniacæ fuerit accuſatus, & propterea in carcere aliquandiu detentus. *Voſſius dict. Tract. cap. 26. §. 10. p. 110.*

Cap. XII.
DE Jure Canonico abſolutè Chymiam damnante.

§. 1.

CHymiſtas falſariis comparavit Johannes XXII P. M. in peculiari conſtitutione, quæ reperitur inter *Extravagantes communes* ſub *Tit. DE Crimine falſi.* Verbotenus autem dictum capitulum hîc inſerendum eſſe exiſtimavi.

§. 2. Spondent, *inquit*, quas non exhibent divitias, pauperes Alchimiſtæ: pariter, qui ſe ſapientes exiſtimant, in foveam incidunt, quam fecerunt.

§. 3. Nam haud dubiè hujus artis Alchimiæ alterutrum ſe profeſſores ludificant, cum ſuæ ignorantiæ conſcii eos, qui ſupra ipſos aliquid hujusmodi dixerint, admirentur: quibus cum veritas quæſita non ſuppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt, iidemque verbis disſimulant falſitatem, ut tandem, quod non eſt in rerum natura, eſſe verum aurum & argentum ſophiſticâ transmutatione confingant, eoque interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, ut fidis metallis, cudant publicæ monetæ characteres fidis oculis: & non aliàs Alchimitum fornacis ignem vulgum ignorantem eludant.

§. 4. Hæc perpetuis volentes exulare temporibus, hâc edictali conſtitutione ſancimus, ut quicunque hujusmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri ſecuro facto man-

mandaverint, vel ad hoc ſcienter, dum id fieret, facientibus miniſtraverint, aut ſcienter vel auro vel argento uſi fuerint, vendendo vel dando in ſolutum; verum tanti ponderis aurum vel argentum pœnæ nomine inferre cogantur in publicum, pauperibus erogandum, quanti alchimitum exiſtat, circa quod eos aliquo prædictorum modorum legitimè conſtiterit deliquiſſe: facientibus nihilominus aurum vel argentum alchimitũ, aut ipſo, (ut præmittitur) ſcienter utentibus, perpetuæ infamiæ notâ reſperſis.

§. 5. Quodſi ad præfatam pœnam pecuniariam exſolvendam, delinquentium ipſorum facultates non ſufficiant, poterit diſcreti moderatio judicis, pœnam hanc in aliam (puta carceris, vel alteram, juxta qualitatem negotii perſonarum differentiam, aliasque attendendo circumſtantias) commutare.

§. 6 Illos verò, quod in tantæ ignorantiam infelicitatis proruperint, ut nedum nummos vendant, ſed naturalia juris præcepta contemnant, artis excedant metas, legumque violent interdicta, ſcienter videlicet adulterinam ex auro & argento Alchimito cudendo ſeu fundendo, cudi ſeu fundi faciendo monetam, hâc animadverſione percelli jubemus, ut ipſorum bona deferantur carceri, ipſique perpetuo ſint infames. Et ſi clerici fuerint delinquentes, ipſi ultra prædictas pœnas, priventur beneficiis habitis & prorſus reddantur inhabiles ad habenda.

§. 7. Gloſſator ad hoc capitulum inter alios auctores allegat *Joh. Andreæ additiones ad Speculatorem*, addens hunc auctorem quidem ſcribere, ſe vidiſſe virgulas veri auri hâc arte factas: ſed addit, ſe hoc non credere.

§. 8. Criminalem hanc Conſtitutionem, penitius inſpicienti facilè paret, non ad genuinos Triſmegiſti filios

verumque aurum Chymicum pertinere, ſed ſpuriam ſolummodo Gebri ſobolem & ſophiſticum ipſorum metallum ferire, unde pœnalem hanc ſanctionem ad innocentes veræ Philoſophiæ ſectatores nemo cordatorum JCtorum applicari poſſe ſtatuet.

CAP. XIII.

De Juris-Conſultorum, in ſpecie verò Oldradi, Reſponſis & opinionibus ad Chymiam ſpectantibus.

§. 1.

SEquuntur nunc Juriſconſultorum & ſummorum in U. J. Dd. Reſponſa & Conſilia ad Quæſtionem: AN ALCHEMIA SIT ARS LEGITIMA?

§. 2. Cum autem non tantum ex adducto Juris Canonici capitulo, ſed aliorum quoque iniquis judiciis pateat, multos Chymiam artem eſſe damnabilem putare, ideo ex JCtorum quorundam libris ſententias collegi, ac huic diſſertationi inſerui.

§. 3. Ut autem primo intuitu appareat, multos fuiſſe JCtos, qui à Chymicorum verorum partibus ſtare non dedignati ſunt, nomina ipſorum eo ordine, quo in theatri Chymici Vol. 1. reperiuntur, hîc exhibere volui, ceu ſunt: OLDRADUS, JOANN: ANDREÆ, ANDREAS DE ISERNIA, BALDVS PERVSINUS, FABIANVS DE MONTE S. SAVINI, ALBERICVS DE ROSATE, ALBERTVS BRVNVS, GVIDO PAPA, JOHANNES DE PLATEA, ANGELVS PERVSINVS qui quidem damnat Alchymiam, ſed refutatus eſt ab HIERONYMO DE ZANETINIS, & a THOMA ARFONCINO, quibus ex

ex Theatro Chymico adductis, addimus JOACHIMUM SCHEPLITZ, ARNOLDUM DE REYGER, JOHANNEM BRUNNEMANNUM, PANCIROLLUM.

§. 4. Primus, Oldradus de Ponte nimirum, patria Laudenſis, floruit anno 1320. fuit primum advocatus Conſiſtorialis Romæ, deinde auditor factus eſt: fuit in magna exiſtimatione apud Johannem XII. Pontificem, Conſilia ejus plena eruditionis extant: alia ejus opera interciderunt. *Valentinus Forſterus Hiſt. Jur. Lib. III. cap. 26. num. 15.*

§. 5. Oldradus hic *Conſil. 74. de ſortileg. n. 1.* quærit, an Alchemiſta peccet, vel an alchemia ſit ars prohibita? Et videtur, quod ſic; & quod ars Alchemiæ ſit prohibita. quia dicit textus *26. q. 1. c. Epiſcopi.* Et quod quisquis credit, poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius mutari, aut transferri in aliam ſpeciem, aut in aliam ſimilitudinem, niſi ab ipſo Creatore, infidelis eſt & pagano deterior.

§. 6. Præterea iſti Alchemiſtæ ſunt multa diſcentes, & ad veritatem ſcientiæ nunquam pervenientes *25. q. 5. nec mirum.* Et ſic dant occaſionem multis deceptionibus.

§. 7. Nec eſt ſcientia, quæ ducat ad pietatem, ut conſuevit dici de Aſtrologia *arg. 37. diſt.* ſiquis *& no. Inn. Extr. de Sortileg. c.* qui. Non enim poſſet fieri ſine auri decoctione, quæ viditur à jure prohibita *C. de auri pub. perſecut. l. 1. lib. X.*

§. 8. In contrarium videtur, quod iſti, qui è ſtanno, vel plumbo, vel alio vili metallo producunt aurum vel argentum (dum tamen hoc non faciant per artem magicam, vel aliam legibus odioſam: ut dicit *lex. c. de theſ. l. 1. lib. x.*) non ſunt reprehendendi, ſed potius laudandi.

§. 9. Iſti ſunt metallarii, qui labore proprio ſibi & Reipubl. commoda comparant. *C. de metall. l. 1. Lib. XI.*

& jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videtur reſultare, favent eis. Nam poſſunt invito domino ingredi fundum alienum ad metallum inquirendum. *C. de metallariis l. 2. & l.* quosdam. *Et ibi no.* quod alias non liceret, *l. 3. §. 1. ff. de acq. Rer. dom.*

§. 10. Nec ipſi dicunt unam ſpeciem mutari in alteram (ut eis imponitur) quia hoc non eſt poſſibile. Sed dicunt, quod ex una ſpecie metalli (ſcil. ſtanno) poteſt altera ſpecies metalli (ſcil. aurum) produci.

§. 11. Nec hoc eſt inconveniens. Nam & videmus, quod quandoque ex re mortua producitur viva: ut videmus in vermibus, ex quibus producitur ſericum, & aliis pluribus. Et ex herba producitur vitrum: multomagis ex metallis, in quibus eſt major convenientia & ſimilitudo.

§. 12. Nam (ut ipſi tradunt, & habetur in libro *de proprietatibus rerum* in C. *de Alchimia*) omnia metalla procedunt ex eodem principio, ſcil. ex ſulphure & argento vivo: ſed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco, quam in alio, in una minera fit ſtannum, in alia argentum, in alia aurum, & ſic de aliis.

§. 13. Cum ergo ars imitetur naturam. *ut ff. de adopt. l.* ſi adoptio. (non videntur iſti Alchemiſtæ peccare, ſi per virtutem iſtam, quæ eſt in herbis, vel lapidibus vel elementis, volunt de ſtanno facere argentum.

§. 14. Nam cum ſint quaſi ex eodem principio, & ſimilia, in habentibus ſymbolum, facilior eſt tranſitus. *Inſt. quib. mod. toll. oblig. §. 1.* Multæ enim ſunt virtutes inſitæ herbis & lapidibus *16. q. fin. c. fin.*

§. 15. In

§. 15. Inſunt enim (ut dicit B. Auguſtinus) rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus *26. q. 5. nec mirum. circa fin.* ſi ergo ipſi hoc attribuunt DEO, non videntur peccare.

§. 16. Præterea video, quod non eſt magna pœna in eo, qui dat, ſive obligat æs pro auro, etiam ſcienter, *ff. de pign. act. l. 1, & de Crim. ſtellion. l. 3.*

Cap. XIV.

De Panormitano ſive Nicolao Siculo,

§. 1.

Panormitanus ſic dicitur, quia Panormi in (*Palermo*) Siciliæ Archiepiſcopus fuit: Nomen ejus verum fuit Nicolaus Siculus, Cathaniâ Siciliæ urbe, è familia Tudeſchorum oriundus. Præceptorem habuit Franciſcum Zabarellam. Ob ſingularem eloquentiam, prudentiam & inſignem Juris utriusque peritiam, omnibus ſuæ ætatis admirationi fuit.

§. 2. Docuit initio Jus Canonicum in ſchola Senenſi, anno Chriſti 1425. Parmæ quoque profeſſus eſt: atque inde evocatus, factus eſt cauſarum in Rota auditor. Poſtea in Abbatem Monacenſem ordinis S. Benedicti electus, ex abbate factus eſt Archiepiſcopus Panormi, ac tandem Cardinalitia dignitate cohoneſtatus. Ad concilium Baſileenſe juſſu Pontificis profectus eſt, reverſus in Italiam paulo poſt obiit.

§. 3. Scripſit Commentarios ad Jus Canonicum, ſive lecturas in libros quinque Decretalium, item, Librum

de poteſtate Pontificis, Imperatoris & Concilii. Reliquit etiam Tractatum de autoritate, veritate & inſtitutione Conciliorum ſacrorum MS.

§. 4. Hic Panormitanus ſuper *cap. Ex tuarum. 2. x. de ſortilegiis*, ita ſcribit: Sed juxta prædicta poteſt quæri de alia quæſtione, quam facit & ponit *Oldrad. conſ. 69*: Numquid Alchemia ſit prohibita? & numquid eam exercentes peccent? Et videbatur, quod ſic: Quia una ſpecies convertitur ſeu transmutatur in aliam, cum plumbum efficiatur argentum, vel æs aurum, &c. Sed citra DEum nemo poteſt unam ſpeciem in aliam transmutare: ut *26. q. 5. in §. quisquis ergo*.

§. 5. Oldradus tamen concludit oppoſitum: quia imò una ſpecies non mutatur in aliam diverſam, cum omnia metalla procedant ex eodem fonte, videlicet ex ſulphure & argento vivo. Sed ubi eſt melior influentia aſtrorum, ibi producitur metallum pretioſius. Unde per influentiam aſtrorum, & cum herbis & lapidibus (quibus inſunt multæ virtutes) poteſt naturaliter una ſpecies metalli converti in aliam ſpeciem magis pretioſam: quod eſt notandum.

CAP. XV.

De Joanne Andreæ, ejusq; ſententia.

§. 1.

SEculo XIV. celeberrimus fuit JCtus Joannes Andreæ, qui Præceptorem habuit Bonifacium Pergamenſem, admodum adoleſcens Bononiam venit, ſed ob paupertatem Pædagogum egit. Interim juri Pontificio ita vacavit, ut in ea facultate facile princeps haberetur. In Juris civilis ſcientia audivit Martinum de Sulmannis.

§. 2. Do-

§. 2. Docuit anno VI. Bononiæ tantâ laude, ut à Præſtantiſſimis Juris peritis ſcripta ejus, non modò probentur, ſed prædicentur evehanturque plurimùm.

§. 3. In hoc ſolummodo à multis notatus & repræhenſus eſt, quod ex conſiliis Oldradi Laudenſis, autore diſſimulatô, multa ſibi adſcripſerit; Unde Baldus, qui eum *Fontem ac Tubam* Juris Canonici vocavit, eundem inſignem alienorum librorum *Furem* appellare ſolitus eſt.

§. 4. Senex ex peſte vita functus eſt anno cIↄ CCCIIL ſepultus, Bononiæ in templo S. Dominici & epitaphio magnifico cohoneſtatus.

§. 5. Inter alia Speculatorem, ſive Guilielmi Durantis ſpeculum Juris anno 1261. editum additionibus illuſtravit, ubi ad Titulum *de Crimine Falſi* Chymicos defendit.

§. 5. De Alchimiſtis, *inquiens*, dubitari ſolet, an incidant in pœnam falſi: quidam eis adaptant verba Pauli *2 ad Tim. 4. in prin.* quæ vide *26. q. 5. nec mirum. ibi. & juxta Pauli ſentent. &c.* ſimiliter multis deceptionibus dant cauſam: nec eſt ſcientia pietatis *37. diſt. ſi quis.* dicitur etiam illam artem, ubi ad aurum tenditur, non fieri ſine auri decoctione, quod eſt lege prohibitum: *C. de aur. pub. præfec. l. 1. lib. XI.*

§. 6. In contrarium, qui ex magiſterio artis, ſine arte magica, vel alia legibus prohibitâ *C. de theſ. l. unica. lib. X.* de vili metallo facit pretioſum, commendandus eſt: quia in hoc auget Rempubl. *C. de metall. l. 1. lib. XI.* & iſti metallarii privilegiati ſunt, contra præalleg. *l. un. de theſ. & ff. de acq. Rer. dom. l. 3.* ut ingredi poſſint alienum fundum domino invito, & *eod. tit. de metall. l. 3.*

§. 7. Nec mutant unam ſpeciem in aliam diverſam, ſed unam metalli ſpeciem faciunt meliorem, ut de ſtanno vel ære argentum vel aurum.

§. 8. Nec mirum cùm videamus ex vermibus produci ſericum, ex herba vitrum, ut habetur in *lib. de prop. rerum*, ubi de Alchemiſta: quia omnia metalla procedunt ex ſulphure & argento vivo. Sed ex virtute elementorum major eſt influentia in uno loco, quam in alio, ex quo evenit, quod uno loco vel minera, fit ſtannum, alio argentum, alio aurum.

§. 9. Cum igitur ars imitetur naturam *ff. de adopt. l. 16.* non videntur Alchymiſtæ peccare, ſi per virtutem herbarum, lapidum vel aliorum elementorũ meliorant metallum in metallum pretioſius, cum ambo ejusdem ſpeciei & principii fuerint. Facit *Inſtit. quib. mod. tol. obl. poſt. princ.* conſentaneum eſt, verbis tolli, quod verbis inductum eſt.

§. 10. Auguſtinus dicit *in lib. de Civ. DEI*, quod ſunt in rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ rationes occultæ, quibus cum data fuerit oportunitas temporalis & cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus. Habetur hoc ad literam *26. q. nec mirum, ante medium cap.*

§. 11. Item videmus, quod non eſt grandis pœna illius, qui etiam ſcienter dat æs pro auro, tenetur enim crimine ſtellionatûs, cujus pœna eſt extraordinaria *ff. de pign. act. l. 1. in fin. & de crim. ſtell. l. 2.*

§. 12. Plus noſtris diebus habuimus magiſtrum Arnaldum de villa nova, in curia Romana ſummum Medicum & Theol. de quo ſcripſi *de obſervat. jejun.* conſilium, qui & magnus Alchemiſta virgulas auri, quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti.

§. 13. De

§. 13. De hâc Hiſtoria Gloſſator Juris Canonici ad tit. *de Crim. Falſi* ita ſcribit: Jo. Andreæ *ad Spec. cit. tit. in rubr.* dicit, ſe vidiſſe virgulas veri auri hâc arte factas, quod ego non credo.

Cap. XVI.
DE Andreæ Iſernini opinione.

§. 1.

ANdreas de Iſernia Feudorum interpres ſummus, ſive ſummus feudiſta, ut ipſum appellat Jaſon *de Feud. cap. 1. n. 23.* fuit Neapoli advocatus conſiſtorii Regii. Interfectus eſt à Gallo, cujus cauſam ipſe oppugnaverat. Förſter. *Hiſtor. Juris lib. 3. c. 26. n. 27.*

§. 2. Inter alia ad Tit. Feudorum, *Quæ ſunt Regalia,* hæc habet: Quid de Alchemia & Alchemiſtis? dic quod ſi faciunt aurum ſophiſticatum, non debere vendere pro puro, quia eſt falſitas: Nec liberatur ſophiſticatum ſolvendo. *ff. de pign. act. l. eleganter. §. qui reprobos.* electrum non eſt aurum. *ff. de leg. 1. l. 4.*

§. 3. Si vero faceret verum aurum, non quod cuderet pecuniam Principis, inde ſine juſſu Principis, hoc aurum eſſet facientis. Quia non eſt illicitum verum aurum pro vero vendere.

§. 4. Nil enim prohibet arte uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendum veros & naturales effectus, ſicut dicit B. Auguſtinus *de Trin.* de his, quæ arte dæmonum fiunt h. d. Thomas. 2. 2. q. 79. de his, quæ fiunt circa voluntariam permutationem.

§. 5. Quæritur ſecundo, quid de Alchemia? adde utrum liceat facere Alchemiam? dic ſecundum Oldradum

in conſil. ſuis: quod ſic; dummodo non fiat per artem magicam vel per aliam artem legibus odioſam. Vide in ſumma Angelum, in verbo *Alchemia.*

CAP. XVII.
De Baldi ſententia.

§. 1.

BAldus de Ubaldis Peruſinus, Bartoli diſcipulus, abſoluto legitimo ſtudiorum tempore, Doctoratus inſignia recepit Anno cIↃ CCCXLIIII, Bononiæ docendo inſignem doctrinam, tàm in civili, quàm Pontificio jure probavit.

§. 2. Ob famam & gloriam, quam ex doctrina conſecutus erat, Mediolanenſium Dux, Johannes Galeacius ipſum vocavit Ticinum, ubi multis annis ſumma cum admiraritone, & non minore laude tam civile, quam Pontificium jus docuit.

§. 3. Decrepitâ ætate diem obiit Ticini, anno cIↃ CCCCXX. ſepultus in æde Franciſci, cum verſatus eſſet per annos LXV in profeſſione ſua.

§. 4. Præter commentarios in Jus Civile etiam feudalia illuſtravit, & ad Tit. *Quæ ſunt Regalia num. 5.* ita ſcribit: Item monetæ: id eſt, autoritas faciendi monetas publicas. And. de Iſer. quærit hic, de his, qui faciunt Alchemiam, & dicit, quod ſi impenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, ſine aliqua falſificatione formæ vel materiæ, non punitur Alchemiſta: quia eſt ars perſpicaci ingenio inventa & tanquam à Philoſopho. Supra hoc etiam conſuluit D. Oldrad. *in conſil. ſuis*, & loquitur Jo. And. in *addit. Specul. in rubric. de Crimine falſi.*

CAP.

Cap. XIIX.

Fabiani de monte S. Savini ſententia.

§. 1.

FAbianus *de empt. & vend. qu. 5. num. 8.* ſequentia habet: ſed hic quæritur incidenter, an Alchemiſta, vel facies Alchemiam puniatur de falſo? Dicas quod non, quia eſt ars perſpicaci ingenio inventa, ubi expenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, ſine aliqua falſificatione formæ vel materiæ ſecundùm *And. de Iſern. & Oldrad. in conſil. ſuis*, ut refert. *Bald. in d. c. quæ ſint regal.*

§. 2. Idem etiam tenet *Joan. Andr. in addit. ſpec. in lit. de crim. falſ. in rubr.* Hoc inſuper firmavit Abb. Sicul. *in c. 2. de ſortil.* ubi allegat. *Oldrad. in Conſil. 69.* quod licet non poſſet una ſpecies in aliam commutari, niſi à DEO. *26. q. 5. c. epiſcopi*, tamen hic una non transmutatur in aliam; cum omnia metalla procedunt ex eodem fonte & origine, ſcil. ex ſulphure & argento vivo, ſed ubi eſt melior influentia aſtrorum, ibi producitur metallum pretioſius, unde per influentiam aſtrorum, & cum herbis & lapidibus pretioſis, quibus inſunt multæ virtutes, poteſt una ſpecies metalli in aliam transmutari magis pretioſam, ſecundum eum.

§. 3. Sed adverte, quia S. Thomas *ſecunda ſecundæ q. 77.* dicit.: hoc verum, quando ſciretur ars vera, & fieret verum aurum, quia nihil prohibet, uti arte naturali.

§. 4. Aliàs dicit, hoc non eſſe juſtum, ſi daretur aurum alchemicum pro vero, cum multæ proprietates inſint in vero, quæ non ſunt in alchemico, ut lætificandi, & multas infirmitates depellendi.

§. 5. Ex his patet, omnes qui Chymiam damnant, per aurum Alchemicum intelligere aurum ſophiſticum ſive

falſum, nec credere naturaliter ignobiliora metalla in verum aurum & argentum mutari poſſe. Alii contra experientiâ convicti Chymiam non tantum abſolvunt, ſed inſuper etiam laudibus extollunt.

CAP. XIX.
Alberici de Roſate ſententia.

§. 1.

ALbericus Roſatus Bergomenſis, floruit ſeculo XIV. ut apparet ex ejus Dictionario voce, *Jubilæus*, ubi poſtquam recenſuit formulam Bullæ Clementis VI, Annum Jubilæum promulgantis ad annum cIↃ CCCL, hæc adjungit: *Ego Albericus, DEI gratiâ miniſtrante, cum Uxore & tribus filiis fuimus ad dictam indulgentiam, & omnes DEI gratia proſperè repatriavimus.*

§. 2. In uſu forenſi fuit exercitatiſſimus, & aliàs quoque inſigniter Doctus, ut Jaſon ſcribit, cui plusquam alteri Doctori deferunt advocati Mediolanenſes. *Forſter. Hiſt. Jur. l. 3. c. 27. §. 18.*

§. 3. Hic Albericus, in dictionario ſuo, in verbo Alchimia, hæc habet: An Alchimia ſit ars reprobata, & an Alchimiſta peccet? videtur quod ſic: quia ſi quis credit, poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius transferri in aliam ſpeciem, niſi ab ipſo Creatore, infidelis eſt & pagano deterior. *26. qu. 5. cap. epiſcopi. 12.*

§. 4. Item Alchimiſtæ multa diſcunt, & ad veritatem ſcientiæ nunquam perveniunt. *26. qu. 5. can. Nec mirum.* Ex quo dant cauſam multis deceptionibus, nec eſt ſcientia, quæ ducit ad pietatem, ut conſuevit dici de Aſtrologia *arg. 37 Diſt. c. ſi quis. & no. per Innoc. extr. de ſortilegiis c. 2.*

§. 5. Al-

§. 5. Alchimia enim non poteſt fieri ſine auri decoctione, quæ videtur â jure prohibita. *C. de auri publ. perſecut. tit. 72. lib. X.*

§. 6. In contrarium, quod qui è ſtanno, vel plumbo, vel alio vili metallo producit aurum vel argentum, dum tamen hoc non faciat per artem magicam, vel aliam legibus odioſam: ut *dicit. l. 1. lib. X. C. de theſaur.* non eſt reprehendendus.

§. 7. Tales enim ſunt metallarii, qui labore proprio ſibi & Reip. commoda comparant. *C. de metallar. l. 1. l. XI.* & jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videtur reſultare, eis favent. Nam poſſunt invito domino ingredi fundum ad inquirendum metallum *l. 2. & l. quosdam & ibi no.* quod aliàs non liceret: ut *ff. de acq. rer. dom. l. 3. & d. l. 1. de Theſ. lib. X.*

§. 8. Nec ipſi dicunt unam ſpeciem immutari in aliam, ut eis imputatur: quia hoc non eſt poſſibile, ſed dicunt, ex una ſpecie metalli poteſt alia ſpecies transferri, ut aurum vel argentum.

§. 9. Nec hoc eſt inconveniens. Nam videmus aliquando ex re vivâ produci mortuam, ut in vermibus producentibus ſericum, & ex herba producitur vitrum: multô magis in metallis, in quibus major eſt convenientia.

§. 10. Nam ipſi dicunt, & notant in libro *de proprietate rerum*, de Alchemia, omnia metalla procedunt ex eodem principio, ſcil. ex ſulphure & argento vivo: Sed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco, quàm in alio; & in una minera fit ſtannum, in alia argentum, & in alia aurum: & ſic de aliis. Cum ergo ars imitetur naturam, *ut ff. de adopt. l. adopt.*

adopt. non videntur Alchemiſtæ, peccare, ſi per virtutem herbarum, lapidum vel elementorum faciunt de ſtanno argentum.

§. 11. Nam cum ſint quaſi ex eodem principio & ſimilia, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. *Inſt. quib. mod. toll. obl.* §. 7. multæ enim ſunt virtutes inſitæ herbis & lapidibus *16. q. ult. c. fin.* Inſunt enim, *ut dicit Auguſtinus*, rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus, & *vigeſima ſexta. q. 3. nec mirum circa fin.* & *decima ſexta q. ult. circa fin.* ſi ergò ipſi attribuunt DEO, non videntur peccare.

§. 12. Et non eſt magna pœna, ſi oppignoraſti æs pro auro etiam ſcienter, *ut ff. de pign. act. l. 1. & de Crim. ſtell. l. 2.*

§. 13. *Idem Albericus in dict. in verbo, Emptio.* An venditio reddatur illicita & invalida, propter defectum rei venditæ, vel propter ejus bonitatem latentem? dicit Thomas *in 2. 2. qu. 77. art. 2.* Circa rem, quæ venditur triplex defectus conſiderari poteſt, unus ſecundum ſpeciem rei, ut ſi vendatur aurichalcum pro argento, aut vinum aquâ mixtum, ſicut purum.

§. 14. Alius defectus eſt ſecundùm quantitatem ponderis vel menſuræ, ut ſi quis ſcienter utatur pondere defectivo, vel menſurâ injuſtâ.

§. 15. Tertius defectus eſt ex parte qualitatis, puta ſi animal infirmum vendatur quaſi ſanum. In his tribus caſibus, ſi venditor ſcienter offenderit, fraudem committit, & venditio eſt illicita, & tenetur ad reſtitutionem.

§. 16. Si verò ignoranter, non peccat, tamen cum ad ejus notitiam pervenit, tenetur compenſare damnũ emptori.

§. 17. Et

§. 17. Et ex hoc patet, quod illicitum eſt vendere aurum vel argentum Alchemicum pro verò, quia non eſt purum, ſicut eſt verum aurum, nec habet omnino easdem proprietates, ſicut eſt lætificandi: nec valet etiam contra certas infirmitates, ſicut verum aurum.

§. 18. Si vero per Alchimiam fieret verum aurum. non eſſet illicitum vendere pro vero, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendos veros & naturales effectus, ſicut dicit Auguſtinus *in lib. de Trinit. de his, quæ arte dæmonum fiunt.*

CAP. XX.

De Alberto Bruno, ejusque ſententia.

§. I.

ALbertus Brunus, Aſtenſis Hiſpanus varios tractatus, quorum plerique in Tractatu Tractatuum reperiuntur, edidit, nempe 1. de Rebus dubiis. 2. de Augmento. 3. de Interitu. 4. de Refectione. 5. de Statutis fœminas à ſucceſſione excludentibus, ſi exiſtant maſculi. 6. de Diminutione & deterioratione. 7. de Permanentibus in eodem ſtatu. 8. de Mutatione & transformatione.

§. 2. Præterea reperiuntur aliqui tractatus ſeorſim impreſſi, nimirum. 1. de Augmentis rebusque additis *Venet.* 1584. 2. Conſilia Feudalia. 3. de Feudis. *Lugduni* 1562. 4. de Dictionibus variis. 5. de Conſtitutione Principum. *Venetiis.* 1529. 6. de Augmento & diminutione monetarum *Colon.* 1591.

§. 3. In hujus ultimi tractatûs *prima præſuppoſitione num. 13. & 14.* deſcribit requiſita probæ monetæ, & diſtingit inter alchemiam veram & ſophiſticam. Juxta

prædicta, *inquiens*, habemus advertere, quod in moneta, ut ſit proba, tria principaliter conſiderantur: ſc. materia, forma & æſtimatio ſeu valor juxta *l. 1. junctâ l. fin. cum ibi notatis C. de veteris numism. lib. XI.* & not. per Baldum *in cap. quarto, de jure-jurando.*

§. 4. Debet enim primò materia eſſe proba *d. l. 1. & l. 1. §. 1. ff. de contr. empt. & d. c. quanto.* Unde non liceret, de Alchemia cudere monetam, quod eſt intelligendum de ſophiſtica, non de ea, quæ reperitur eſſe verum aurum vel arg. quod eſſe poteſt, juxta notata per *Joan. Andr. in addit. ſpecul. in Rubr. de crimine falſi*, qui refert, tacitô auctore, verba Oldradi, cujus ſolet eſſe fur. *in conſil. 74.* incipiente, *an Alchemiſta.*

§. 5. Et latius Joan. Andr. *in c. 2. de ſortil.* Et Bald. & Andr. de Iſern. *in c. 1. in tit. quæ ſint regal. in uſib. feud.*

§. 6. Et per S. Thomam *ſecund. 2. quæſt. 92.* Unde concludunt Alchemiam eſſe veram ſcientiam & permiſſam. De quo aliquid per Albericum de Roſate *in diction. verbo, de Alchemia.*

§. 7. Et dicit Joan. Andr. ubi ſupra, quod ſuo tempore fuit magiſter Arnaldus de Villa nova, ſummus Medicus & Theologus & magnus Alchemiſta, qui per illam artem faciebat virgulas aureas, quas conſentiebat omni probationi ſubmitti.

§. 8. Et fecit in illa ſcientia librum unum, qui mille homines depauperavit. aut quia non verum, aut quia non intelligitur.

§. 9. Et cum haberem quendam ſocium in legibus, multum inſudantem in illa arte, volui videre unum mirabile experimentum ad effectum, ut plura ſcirem.

§. 10. Nam habuimus nobiſcum unum antiquum Alchemiſtam, pauperrimũ tamen. Et me præſente ille meus col-

collega reduci fecit unam unciam argenti pretioſiſſimi ad inſtar auri, in pondere, fuſione, cum malleatione ſalvo colore, quia non erat croceus, ſed mutatus ad inſtar quaſi plumbei coloris.

§. 11. Et ille collega meus habebat modum dandi colorem ei croceum. Et illa materia patiebatur & ſuſtinebat aliqua experimenta, ſed non extremum experimentum, & admixta cum tantundem auri pretioſi, ſi videbatur aurum viginti characterum (*caratarum*) & plus & minus: ſecundum quod illa materia erat melius diſpoſita.

§. 12. Et quidam magnus Prælatus, ac multi antiqui Alchemiſtæ mirati fuerunt de illo experimento. & unus antiquus Alchemiſta, putans ſe divitem, putabat reducere illam materiam ad veram ſpeciem auri: & non potuit

§. 13. Putavitque ipſam artem illuſoriam, maximè ex quo tot viri in quadraginta aut quinquaginta annis non viderant tam notabile experimentum, quod nihilominus erat ſophiſticum, ita ut aliud experimentum videre noluerim.

§. 14. Nec liceret inconſulto principe materiam æream immiſcere in auro vel argento cudendo: per *l. quicunque nummos ff. de falſ.* & notatur in *l. 2. C. qui falſ. monet.*

Cap. XXI.
De Guidone Papa.

§. 1.

Guido Papa, natione Gallus, floruit anno Chr. 1442. & fuit Conſiliarius in parlamento Delphinatûs. ſcripſit Conſilia, Deciſiones & Singularia. *Forſt. Hiſt. Jur. lib. 3. c. 34. n. 5.*

§. 2. Præterea varios tractatus reliquit, nempe, 1 de Appellationibus, tam civilibus, quam criminalibus. 2. Lecturam ſuper IV & VI. Libros Codicis. 3. de Compulſorialibus literis præciſè concedendis. 4. de Forma inventarii conficiendi. 5. Commentarium in lib. XXX. ff. de Legatis. 6. de Præſumptionibus. 7. Quibus caſibus Laici, ſubditi imperio ducis Sabaudiæ, poſſint trahi ad judicem Eccleſiaſticum. multi ex his reperiuntur in Tractatu Tractatuum.

§. 3. In ſingulari 388. § de his breviter approbat ſententias antecedentium JCtorum. De his, *inquiens*, qui faciunt Alchimiam, utrum debeant puniri? Dic quod non, dum tamen faciunt ſine aliqua falſitate materiæ vel formæ, quia eſt ars pro ingenio adinventa, tanquam à Philoſopho. Ita dicunt And. Iſernia & Baldus in *c. r. quæ ſunt regal.* & refert Baldus Oldradum ſic conſuluiſſe *in ſuis conſiliis.*

Cap. XXII.

De Joanne de Platea.

§. 1.

JOhannes de Platea Bononienſis, in Patria docuit: Scripſit in Inſtitutiones & tres poſteriores Codicis libros. ſepultus Bononiæ apud S. Petrum, Inſcriptione additâ, ex qua patet, monumentum ejus vetuſtate deſtructum & corruptum, decreto Cardinalis Juliani, Bononiæ Epiſcopi ac Principis anno cIↃ IↃ I renovatum fuiſſe.

§. 2. Hic JCtus in *l. 1. & ad Rubr. Cod. de argenti pret. quod theſ. infertur, lib. X. tit. ult.* itidem verorum Chymicorum cauſam quidem defendit, ob difficultatem autem artis ſuadet, ut ab illius exercitio abſtineant ſe homines: Quæro, *inquiens*, incidenter, dictum eſt ſupra de perſecu-

cutoribus & excoctoribus auri naturalis, quid de perſecutoribus auri artificialis? an Alchemiſtæ tale aurum licitè perſequantur, & ſolvi poſſit? an verò committant falſum?

§. 3. Jo. Andreæ *in add. ſpec. in tit. de falſ.* commendat Alchemiſtas, qui ex magiſterio artis ſine re magica vel aliâ arte lege prohibita *l. unic. C. de Theſaur.* de vili metallo faciunt pretioſum, nec mutant unam ſpeciem in aliam diverſam, ſed unam metalli ſpeciem faciunt meliorem, ut de ſtanno vel ære argentum vel aurum.

§. 4. Procedunt enim omnia metalla ex ſulphure & argento vivo, ſed ex virtute elementorum in uno loco fit ſtannum, in alio aurum, in alio argentum, & ſic de ſingulis.

§. 5. Cum igitur ars imitetur naturam *l. adoptio ff. de adopt.* non peccant Alchemiſtæ, ſi per virtutem herbarum, lapidum vel aliorum elementorum unum vile metallum in pretioſius reducunt, cum ambo fuerint ejusdem ſpeciei & principii.

§. 6. Inſunt enim rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ rationes occultæ, quibus cum data fuerit opportunitas temporis atque cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus; dicit lex. *26. q. 5. nec mirum.* Et de iſto Alchimiſta vide Andr. de Iſern. & Bald. *in tit. quæ ſint regal. col. X.*

§. 7. Quia tamen talis operatio multis ſubjacet deceptionibus, ut *d. c. nec mirum*, nec eſt ſcientia pietatis. *37. diſt. ſi quis Grammaticam.* conſulo ab ejus exercitio abſtinendum, quamvis magiſter Arnoldus de Villanova ſummus Medicus & Theologus & magnus Alchemiſta faceret in curia Romana virgas aureas, quas conſentiebat omni probationi ſubmitti. Hæc quidem operatio, ſi in piam

cau-

cauſam convertendam peragatur, DEI omnipotentis permiſſione perficitur, *d. nec mirum χθ. nec ideò quisquam & 37. diſt.* legamus.

CAP. XXIII.
De Angeli Clavaſini opinione

§. 1.

PLures quidem JCti reperiuntur, qui Angeli vocantur nempe 1.) Angelus de Ubaldis Peruſinus, frater celeberrimi illius JCti Baldi de Ubaldis.

§. 2. Deinde Angeli hujus nepos. Angelus ſecundus, qui cum longo tempore Patavii docuiſſet, à Sixto Pontifice Romam vocatus, & inter advocatos Conſiſtorii Romani adſcitus eſt.

§. 3. Tertio Angelus de Periglis, qui Commentarium in Digeſta Novum & Infortiatum ſcripſit.

§. 4. Quarto Angelus Aretinus, qui alias Angelus Gambellienus vel de Gambellionibus vocatur & Ferrariæ docuit.

§. 5. Angelus, de quo hic agimus, ad differentiam aliorum, vocatur Angelus de Clavaſio, oppido Italiæ, & quidem in Pedemontio juxta Padum fluvium ſito, dicitur, qui inter alia ſcripſit *Summam Angelicam* Argentinæ 1513. editam.

§. 6. In dicta ſumma ſub verbo *Alchemia* hæc habet. Utrum, *inquiens*, liceat facere Alchemiam? Reſpondeo, Oldradus *in conſiliis ſuis* tenet, quod ſic, dummodo non faciant per artem magicam, vel per aliam legibus odioſam, ut dicit *l. Unica C. de Theſaur.* quia tales metallarii ſunt, qui labore proprio & ſibi & Rei-

Reipubl. commoda comparant. *C. de metall. l. 1.* & jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videntur reſultare, favent eis.

§. 7. Nam poſſunt invito domino ingredi fundum ad metallum inquirendum. *l. 3. & l. quosdam. & ibi in not. C. de metall.* quod aliàs non licet *d. l. un. & ff. de acq. rer. dom. l. 3.*

§. 8. Ratio eſt, quia (ut dicitur *in lib. de proprietate rerum in verbo de Alchem.*) omnia metalla procedunt ex eodem principio: ſcil. ex ſulphure & argento vivo, ſed ex virtute elementorum, quæ habent majorem influentiam in uno loco, quam in alio, in una minera fit ſtannum, in alia argentum.

§. 9. Cum ergò ars imitetur naturam: *ff. de adopt. l. adoptio.* non igitur eſt peccatum, ſi per virtutem, quæ eſt in elementis, aut herbis, Alchemiſtæ de ſtanno volunt facere argentum. Quia cum ſit in eodem principio, & in habentibus ſymbolum, facilior ſit tranſitus. *Inſt. quib. mod. toll. obl. §. 1.* Cum multæ virtutes ſint inſitæ herbis & lapidibus, *26. q. 5. nec mirum. circa medium.*

§. 10. Sed his non obſtantibus, credo quod ſit illicita ex multis reſpectibus, tum primo, quia nullus invenitur, qui habeat veram hujusmodi artem, licet dicatur de multis: ſed falſum ex experientia, dum quia videmus, quod communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum.

§. 11. Unde de ipſis dicitur *2. ad Timoth. 3.* ſemper addiſcentes, & nunquam ad veritatis ſcientiam pervenientes: experientias multas faciunt, & nunquam ad perfectum attingunt, tempus vitamque conſumunt: nec id, quod operantur, habet veritatem, cum auro vel argento,

ſed ſolùm apparentiam. Ideò ſimpliciter ſunt condemnandi Alchemiſtæ.

§. 12. Et hoc evidenter probatur, quia nemo in publico eam vult facere, ut appareat, quod malè agunt, quia odiunt lucem.

§. 13. Etſi aliquando aliquid veri faciunt, aut fit cum damno computatis expenſis, vel ex aliqua deceptione imponendo aurum verum, vel aliqua fallacia diabolica, quæ, ut eos attendere faciat hujuſmodi, facit eis verum aurum ex appoſitione auri veri occultè aliquando.

§. 14. Cum ergò ſit tale exercitium contra utilitatem publicam, ut patet ex conſumtione rerum, & quia (ut communiter) faciunt ex his monetam falſam. Ideo ſimpliciter ſunt condemnandi eam facientes.

§. 15. Quam lubrica ſint fundamenta, quibus Pedemontani hujus JCti opinio innititur, ſequentes duo JCti egregiè demonſtrârunt: interim haud inutile erit, nudos ejus medios terminos, ex quibus ſuam deducit concluſionem, hîc ob oculos ponere, quibus conſideratis quilibet â præjudiciis immunis judicare poterit, cujus farinæ ſit concluſio, nempe, chymiam exercentes ſimpliciter eſſe condemnandos.

§. 16. Prima ratio eſt, *quia nullus invenitur, qui habeat verum hujusmodi artem, licet dicatur de multis.* Hæc ratio falſa eſt, ut & conſequentia.

§. 17. II. *Quia videmus, quod communiter ipſam facientes, multa conſumunt.* Quod multi faciunt non imputandum eſt omnibus.

§. 18. III. *Quia ſemper addiſcentes nunquam ad veritatis ſcientiam perveniunt,* perperam verba Apoſtoli, Pſeudo-Chriſtianos reprehendentis torquendo applicat ad Chymicos.

§. 19. IV.

§. 19. IV. quia *experientias multas faciunt, nec unquam ad perfectum attingunt.* Hoc eſt facti, nec præſumitur, niſi probetur, *l. 2. §. 2. D. de Poſtliminio.*

§. 20. V. *Quia tempus vitamque conſumunt, nec id, quod operantur, veritatem habet cum auro & argento, ſed ſolùm apparentiam.* Hoc iterum eſt facti, & probatione indiget.

§. 21. VI. *Quia nemo in publico eam facere vult, ut appareat, quod male agunt, quia odiunt* (oderunt) *lucem.* Majoris univerſalitas impugnatur infinitis inſtantiis, quarum unam tantùm ex Tobiæ Cap. XII. verſ. 8. allegaſſe ſufficiat. Præterea minoris falſitatem evincunt multa chymicorum exempla, qui non clàm, ſed palàm artis ſpecimina ediderunt.

§. 22. VII. *Quia ſi aliquid veri faciunt computatis expenſis cum damno fit.* Hic iterum præſupponit aliquid, quod probare debebat.

§. 23. VIII. *Quia non verum faciunt, ſed ex aliqua deceptione verum imponunt* (ſupponunt) *aurum.* Hoc loco Sophiſtarum fallacias imputat chymicis veris, cum tamen factum unius non debeat nocere alteri, *l. 27. §. 4. verſ. ante omnia ff. de Pactis* l. 75. §. 5. *D. de Nov. op. nunc.* ac l. 17. *C. Familiæ herciſcundæ.*

§. 24. IX. *Quia aliqua fallacia diabolica, quæ, ut eis attendere faciat hujusmodi, facit eis verum aurum, ex appoſitione auri veri occultè aliquando.* Hîc deficientibus aliis probationibus Acheronta movet. Obiter notandum minime probabile eſſe, Satanam divinæ hujus artis, aliquam vel minimam habere notitiam. Aliàs enim, clientibus ſuis facillime divitias ſæpe promiſſas præſtare poſſet. Præterea nullum hujus rei veſtigium reperitur in actis inquiſitionalibus lamiarum aliorumque hominum, qui pacta cum diabolo inierunt.

§. 25. X. *Quia tale ex ercitium eſt contra utilitatem publicam, ut patet ex conſumptione* inutili *rerum*: hoc loco iterum confundit veros artifices cum ſophiſtis.

§. 26. XI. *Quia communiter faciunt ex his monetam falſam. Ergo ſimpliciter ſunt condemnandi.* Peſſime & iniquiſſime hoc loco falſi crimen imputat veris chymicis, utpotè qui, ſi verâ artis notitiæ imbuti ſunt, non opus habent, adulterinas fabricare monetas.

Cap. XXIV.

De Hieronymi Zanetini ſententia

§. 1.

Hieronymus Zanetinus ſive de Zanetinis, celebris JCtus Bononienſis, Bononiæ edidit Tractatum de Differentiis Canonum & legum, qui reperitur in Tractatu Tractatuum *volum. I.*

§. 2. Præterea huic Hieronymo adſcribuntur Tractatus de foro conſcientioſo Venetiis. 1584. editus, nec non alius de Contrarietate Juris Civilis & Canonici, ut & de Indulgentiis.

§. 3. Procul dubio quoque commentarium ad Decretales reliquit, ubi in notis *ad Capit. 1. Extr. de Accuſation.* reſpondet diſputationi & argumentis Angeli Clavaſini his verbis. An Alchemia ſit peccatum & ars reprobata? Albericus *in Dict. Juris Civ. in verb. Alchemia* arguit, & Joan. Andreæ *in addit ſpec. in tit. de Crim. falſi.* Joannes de Anania *in cap. 2. de ſortil.* & Petrus de Ancharano *in c. 1. eod. tit.* Baldus *in c. 1. quæ ſunt regal.* & Thomas *Secunda ſecundæ q. 77. ar. 2.* & finaliter videntur tenere, quod non videntur peccare, ſi attribuunt DEO: quia non mutant unam ſpeciem in aliam (ut eis imponitur) quia hoc eſt impoſſibile.

§. 4. Sed

§. 4. Sed dicunt, quod ex una ſpecie metalli (ſcil. è ſtanno) poteſt alia ſpecies metalli ſcil. aurum vel argentum produci. Nec hoc eſt inconveniens.

§. 5. Et videmus quandoque, quod ex re mortua producitur viva, ut in vermibus, ex quibus producitur ſericum.

§. 6. Nam omnia metalla procedunt ex eodem principio, ſcil. ex ſulphure & argento vivo: Sed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco, quam in alio, & in una contrata fit ſtannum, in alia argentum, in alia aurum, & ideo eſt licita: dummodo non fiat per artem magicam, vel aliam legibus odioſam *l. r. C. de theſ. lib. X.* ſunt enim laudandi.

§. 7. Adde tamen ſummam Angelicam, *in verb. Alchemia*, quæ tenet, quod ars iſta ſit illicita ex multis reſpectibus: tum primo, quia nullus invenitur, qui habeat hujusmodi veram artem, licet dicatur de multis, ſed falſum ex experientia, tum quia videmus, quod communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum.

§. 8. Unde de ipſis dicitur illud *2. ad Timoth. cap. 3. & d. c. nec mirum 26. q. 5.* ſemper addiſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. Experientias multas faciunt, & nunquam ad perfectum attingunt, tempus vitamque conſumunt.

§. 9. Nec id, quod operantur, habet veritatem cum auro vel argento, ſed ſolum apparentiam. Et ideo ſimpliciter ſunt condemnandi Alchemiſtæ.

§. 10. Et hoc evidenter probatur: quia nemo eam in publico vult facere, ut appareat, quod male agunt: quia odiunt lucem.

§. 11. Et ſi aliquando verum faciant, aut fit cum damno computatis expenſis, vel aliquâ deceptione, imponendo aurum verum, vel aliqua diabolicâ fallaciâ: quæ ut eos attendere faciat hujusmodi, facit eis verum aurum ex appoſitione auri veri occultè aliquando.

§. 12. Cum ergò ſit tale exercitium contra utilitatem publicam, ut patet ex conſumptione rerum, & quia, (ut communiter) faciunt ex his monetam falſam, ideo ſimpliciter ſunt condemnandi eam facientes.

§. 13. Ego verò teneo communem opinionem: artem iſtam eſſe licitam, quia rationes ſummæ Angelicæ non concludunt artem ipſam eſſe illicitam, eo quia nullus habet artem veram: quia hoc non eſt ex defectu artis, nec etiam aliæ rationes concludunt: ut de ſe patet. Et idem tenet Thomas & Albericus.

§. 14. An autem lucrum ex Alchemia ſit licitum, & venditio reddatur injuſta, dicit Thomas *ubi ſup.* quod ſi per Alchimiam fit verum aurum, non eſt illicitum ipſum pro vero vendere: quia nihil prohibet, uti arte & aliquibus naturalibus ad producendos naturales effectus: aut non habet veram ſpeciem auri, & eſt injuſta venditio, poſtquam eſt aurum ſophiſticatum.

CAP. XXV.

De Thomæ Arſoncini Reſponſo.

§. 1.

UNde hic JCtus oriundus ſit, ubi vixerit, qualesque libros ediderit, nullibi hactenus reperire licuit. ex §. 18 hujus capitis patet ipſum coætaneum fuiſſe celleberrimi illius Medici Johannis Fernelii.

§. 2. Præ-

§. 2. Præterea in libro ſingulari, quem Joh. Chryſippus Fanianus Anno 1576. Baſileæ de *Arte metallica metamorphoſeos* edidit, & quidem parte poſteriore, ubi *de Jure Artis Alchemiæ veterum auctorum, & præſertim JCtorum judicia & Reſponſa, ad quæſtionem, AN ALCHEMIA SIT ARS LEGITIMA?* collecta habentur, ultimo loco hic JCtus ponitur.

§. 3. Reſponſum Arfoncini, *quod una cum reliquis Philoſophorum & JCtorum judiciis Theatri Chymici volumini I. verbotenus inſertum eſt, ita ſe habet:* Ad propoſitam quæſtionem breviter reſpondeo, ſi communis doctorum opinio facit jus (ut inter omnes peritos conſtat) ſequitur, ut Alchemia ſit licita. Verum eſt autem antecedens: quia *Oldradus, Baldus, Jo. Andreæ. Panormitanus, And. Iſerninus, Alberic. de Roſate, Albert. Brunus, Guido Papa* & alii complures, tam Civiliſtæ, quam Canoniſtæ illam comprobarunt, unus ſolus contradicit Angelus in ſua ſumma Angelica.

§. 4. Sed præterquam, quod unius Doctoris contra communem nulla eſt auctoritas, ut omnes ſciunt, certè fuit unus magnus Canoniſta. Hieron. de Zanetin, qui *in c. 1. de accuſ.* omnibus & ſingulis ipſius (*Angeli videlicet*) argumentis exactiſſimè reſpondit.

§. 5. Hoc eſt fundamentum adamantinum ex auctoritate magnorum & clarorum Doctorum & Juriſconſultorum: ut omittam auctoritatem Thomæ de Aquino, qui duobus aut tribus locis Alchemiam apertiſſimè comprobavit; Plinius quoque *lib. 34. c. 4.* ſcribit, Caji Imp. temporibus fuiſſe Alchemiſtas.

§. 6. Neque ad rem pertinent, quod dicit, illorum artificium non fuiſſe quæſtuoſum. Primum, quia in quæſtione, *an Alchemia ſit ars licita?* non quæritur, an ſit lucroſa aut fructuoſa? ſed tantum, an Jure divino vel humano prohibeatur?

§. 7. De-

§. 7. Deinde, quia fieri poteſt, ut illi artifices, de quibus loquitur, non ſatis periti fuerint, cum alii peritiores eſſe potuerint, ut vulgo dicimus, inter artifices latam eſſe differentiam *l. inter artif. ff. de ſolut.*

§. 8. Mira ſunt præterea, quæ Suidas de Alchemia & artificioſa auri confectione narrat, quod Ægyptii potuerunt alere bellum diuturnum contra tyrannum Diocletianum, freti arte ſua, id eſt, aurificio.

§. 9. Sed videamus alia quædam argumenta. Scribit enim Ariſtoteles *lib. Metaphyſ. 2. & 4.* quod ars naturam in quibusdam imitetur, & quod multa naturalia confici& perfici arte poſſunt,&colchotar&calchantum exempli cauſa nominat,dicens,quod illa duo atramenta,non tantum naſcuntur in mineralibus, ſed etiam confici arte poſſunt.

§. 10. Tertium exemplum ponatur de ſale. Nam (ut ait Plinius *lib. 31.*) ſal aut fit, aut gignitur. In Polonia eſt ſal minerale, in Gallia eſt factitium, & hujus eadem eſt proprietas, natura & efficacitas, quæ illius.

§. 11. Quartum eſt electrum, quod Plinius *lib. 33. c. 4.* & multi alii ſcribunt, eſſe non tantum naturale, ſed etiam factitium. De quo factitio & artificiali textus loquuntur *in l. 4. ff. de Legatis 1. l. 7. §. Voluntas. 8. ff. de acq. rer. dom. §. ſi duorum. Inſtit. de rer. div.*

§. 12. Quintum eſt argentum vivum, quod prædictus Plinius *l. 33. c. 8.* dicit eſſe aliud nativum, aliud factitium, & hoc ad alterius differentiam nominat hydrargyrum.

§. 13. Guilielmus Philander *(qui Anno 1544. Vitruvium edidit)* in commentariis Vitruvii, quatuor ejus genera numerat: duo nativi & duo factitii: atque ibidem oſtendit & chalybem & ſandaracham & æruginem & chalchantum

tum & Cinabrium, aliâ naturâ gigni, aliâ hominum arte confici.

§. 14. Quæ cum ita ſint, non abſurdè concludere poſſumus: Sicut ars in tàm multis aliis naturam imitari poteſt, non eſſe inconveniens dicere, illam etiam in auri & argenti operatione naturam imitari poſſe. Certè Cardanus *libro. de ſubtil. 16.* ſcribit, & multi dicunt, ſibi hoc esſe cognitum, quod ex ferro poteſt fieri cuprum, chalchanto adhibito.

§. 15. Et Cardanus eodem libro teſtatur, pharmacarium quendam Treviſanum coram Illuſtrisſimo Principe Venetorum & ſapientibus Senatoribus argentum vivum in aurum convertiſſe.

§. 16. Verum eſt, quod Julius Scaliger negat, ſe id credere, ſed nititur argumento infirmo, videl. quod ſi Veneti hoc vidiſſent, qui tantâ ſunt avaritiâ, (ut ipſe ſcribit) ut etiam cum Turca, hoſte Chriſtiani nominis, fœdus faciant, nunquam illum pharmacarium dimiſiſſent: ſed tormentis eum coëgiſſent, artem ſuam revelare, & fortè eum in ſabbato ſuſpendiſſent.

§. 17. Sed veriſimile eſt pharmacarium illum fide publicâ, fortaſſe etiam obſide, aut alia ſecuritate ſibi cavisſe & providiſſe.

§. 18. Nec certè de omnibus omnia ſuſpicari honeſtum eſt. Illud conſtat, innumeros, & ſuperioribus ſeculis fuiſſe, & nunc eſſe graves Viros, qui eam artem factitârunt, & ſibi quæſtuoſam fuiſſe prædicarunt. In quibus fuerunt. *Albertus Magnus*, *Comes Treviſanus*, *Augurellus*, *Avicenna*, *Geber*, *Lullius*, *Bonus Ferrarienſis*, *Morienus* ac *Tolod.* & præſertim *Arnald. de Villanova*, ſummus Medicus.

K §. 19. Vi-

§. 19. Videmus etiam noſtris temporibus *Joh. Fernelium* in arte medica principem exiſtimatum in ſuo libro *de abdit. rer. cauſ.* eandem artem ad unguem tenuiſſe; & in ea exercitatum fuiſſe. quamvis circa finem joculariter ex tribus Augurelli verſibus incautum lectorem eludat.

§. 20. Unius autem illius Fernelii autoritas aliorum multorum Medicorum contradicentium autoritati (ut quidam dicunt) præponderat.

§. 21. Sed principaliter & ante omnia in quæſtione: *An ars aliqua ſit licita?* conſiderandum eſt, an divino aut humano aliquo jure ſit prohibita? Nam licita aut illicita ita diſcernuntur *l. 1. ff. de concubin. l. cum ſenatus. 21. ff. de rebus dub. l. 1. & per tot. tit. ff. de Colleg. & corporibus.*

§. 22. Quantum ad divinum, certè nullum textum reperio, ubi Alchemia & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator divinus Moſes in Levitico & Deuteronomio perſequatur.

§. 23. Neque puto, illum magis prohibuiſſe deſtillationes & alembicationes & auri argentive confectionem, quam jocalium & annulorum & cæterorum ejusmodi ornamentorum conflaturam: quibus Salomon & alii Reges ornabantur.

§. 24. Quantus etiam laminarum & bractearum auri uſus apud populum DEI fuerit, præſertim in templo Hieruſalem, nemini ignotum eſt.

§. 25. Quantum autem ad jus civile, certè nulla litera in Digeſtis, Codice, Inſtitutis vel Novellis oſtendi poſſet, quæ ad prohibitionem Alchemiæ pertineat, quin potius Fuſorum ars comprobatur & laudatur & præmiis decoratur *l. 1. C. de excuſat artific.*

§. 26. Sic

§. 26. Sic Vaſcularii fuſores frequenter nominantur, quaſi artem (ſine controverſia) legitimam exercentes. *in l. apud Labeonem 20. §. ult. ff. de Præſcr. Verb. l. penult. ff. de aur. & argen. lega.*

§. 27. Et de Metallariis, quod legitimam artem exerceant, dubitari non poteſt *ex tit. Cod. de Metallariis lib. XI.*

§. 28. Quantum ad jus Canonicum, opponi ſolent duo textus: ſed facile eſt utrique reſpondere. Primus eſt in *c. ſpondent. Extravag. de Crimine falſi.* Ubi Papa Joannes XXII. Alchemiſtas reprobat, non tamen eos morte damnat, ſed tantùm infamia perpetua.

§. 29. Sed textus ille non eſt infinitè & generaliter ſcriptus de omnibus Alchemiſtis. Verum ſpecialiter & propriè de iis tantùm, qui (ut textus verba proferam) aurum vel argentum ſophiſticâ transmutatione confingunt.

§. 30. Quare ad eos, qui non reprobum, adulterinum, ſed probum & verum conficiunt, textus ille non pertinet. Sicut Jo. Andr. *in addit. ad ſpecul.* teſtatur Arnoldum de Villanova ſuo tempore facere ſolitum virgas auri, quas omni probationi ſubmittebat.

§. 31. Itaque omnes Doctores, tàm civiliſtæ, quam canoniſtæ non curârunt illam extravagantem Papæ, ut ſuperius diximus.

§. 32. Quin etiam Jo. Augurel. Magnus Poëta, opuſculum ſuum *de Alchemia* liberè dedicavit, & præſentavit Papæ Læoni X. cui gratisſimum illud munus fuiſſe conſtat.

§. 33. Hæc igitur ad illum textum reſponſio ſufficiat: ut illud omittam, quod multi hodiè non recipiunt auctoritatem illius legislatoris, qui fuit Papa: & dicent

quodſi in uno capite auctoritas illius approbatur, etiam in altero capite proximo, ubi de Franciſcanis & aliis Monachis quædam pro ſuo libito conſtituit, & approbanda eſſet, *l. qui non cogitur. ff. de judic.*

§. 34. Alter textus, qui opponitur, eſt in *c. Epiſcopi 26. q. 5.* qui ſumtus dicitur ex Concilio Anquirenſi & ſic ſcriptum eſt: *Quisquis credit poſſe fieri aliam creaturam, aut in melius, aut in deterius transformari in aliam ſpeciem, vel aliam ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, infidelis eſt.*

§. 35. Primum ridiculoſa eſt allegatio ex concilio Anquirenſi, quod nunquam fuit, nec eſſe potuit. Corrigendum eſt AQUILEIENSI.

§. 36. Sed magis deridicula eſt allegatio illius textus, ubi damnantur, qui credunt transformationem fieri in aliam ſpeciem.

§. 37. Certè nihilomagis hoc pertinet ad noſtram quæſtionem, quam quod Imperator ſcribit, poſſibile eſſe res omnes in pecuniam converti *l. 2. C. de conſtit. pecun.*

§. 38. Nam textus ille non loquitur de ſpeciebus metallorum aut ſimilium rerum, ſed de ſpeciebus perſonarum: hoc eſt, de mulieribus ſortilegis, quæ dicebant, quod noctu transformabantur in varias ſpecies animalium, & per ſylvas ac nemora cum Diana vagabantur.

§. 39. Itaque *in §. ſiquidem* ſatanas (inquit textus) transformat ſe in diverſarum ſpecies perſonarum. Quare deridiculum eſt, textum, qui de diabolica transformatione perſonarum loquitur, contorquere ad transformationes metallorum, quæ induſtriâ & ſolertiâ quorundam artificum fieri poſſunt, ſine ullo diabolico vel magico artificio: ut Tho. de Aquino in prædictis locis oſtendit.

§. 39. Quin

§. 40. Quin etiam textus eſt ſub eadem *quæſt. in C. nec mirum*, ubi ſic ſcriptum eſt, *Inſunt rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus, cum data fuerit opportunitas temporalis aut caſualis, prorumpunt in ſpecies debitas.*

§. 41. Addam etiam illud, quod legibus noſtris comprobatur, medicamentum factum ex venenis aut rebus venenatis, quaſi ea, quæ natura venenoſa ſunt, arte & ſolertia emendari & commutari ad ſalubritatem poſſint, ut de Mithridatico innuit textus in *l. quod ſæpe. 35. §. venena. 2. ff. de cont. empt.*

§. 42. Reſtat illud argumentum, quod multi Alchemiſtæ faciunt falſam monetam: multi etiam fuerunt ſortilegi, impii, athei, necromantici. Dicitur etiam, quod Ræmundus Lullus & Paracelſus fuerunt magicis artibus inquinati.

§. 43. Horum diſputatorum laudanda eſt pietas & probitas: Sed tamen rogandi ſunt, ut cogitent, artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe. Quoniam aliud eſt ars, aliud artifex: Aliud eſt uſus artis, aliud abuſus *l. quicunque. & l. ſeq. ff. ad leg. Corn. de falſ.* ubi ars monetaria probatur: ſed tamen damnantur, qui nummos aureos aut argenteos tinxerint aut finxerint.

§. 44. Sic in *l. 1. ff. de extraord. cognit.* artis medicæ Profeſſores laudantur, inter quos tamen dicuntur eſſe impoſtores, qui incantationibus & imprecationibus & exorcismis utuntur.

§. 45. Sic Mathematica ſimpliciter damnatur in *l. 2. C. de maleſic.* cum tamen non omnes Mathematici damnandi ſint, ſed impoſtores ſoli.

§. 46. Sic venenarii capite puniuntur in *l. capitalium, 28. §. venenarii 9. ff. de pœn.* cum tamen ne venena quidem ipſa damnentur, ut modo dictum eſt ex *l. quod ſæpe ff. de cont. empt.*

§. 47. Quodſi artes propter artificum abuſum damnandæ eſſent, quænam hodiè probaretur, An Jurisprudentia, in qua tot ſunt rabulæ? An Medicina, in qua tot ſunt venefici? An Theologia, in qua tot ſunt ſophiſtæ & hæretici?

§. 48. Judicium igitur & delectus adhibeatur: ſeparentur paleæ à granis in area: mali piſces à bonis in ſagina: adulterini nummi à probis in Republ. Sophiſticantes aurum vel argentum à peritis artificibus, acerrimæ contra falſarios & monetæ corruptores animadverſiones, inquiſitiones, informationes conſtituantur. Sed (ut ait Jurisconſ.) alieni admiſſi pœnâ ab iis, quos nulla culpa contingit, removeatur, *l. ult. D. de bon. damnat.*

Cap. XXVI.
De Guidone Pancirollo.

§. 1.

GUidonem Pancirollum non tantum Polyhiſtorem, ſed etiam celeberrimum ſuperioris ſeculi JCtum fuiſſe, in notis Salmuthus ad Prooemium libri primi memorabilium teſtatur, ubi inter alia refert, ſe hunc JCtum præſtantiſſimum anno. 1587 & 1588. Patavii in celeberrima illa Antenoris urbe, frequentiſſimo auditorio ſumma cum voluptate docentem audiviſſe.

§. 2. Hic Pancirollus in gratiam Ducis Pedemontani libros duos de Rebus memorabilibus jam olim deperditis, ut

ut & recens & ingenioſè inventis Italicè conſcripſit, quos HenricusSalmuth Latinitate donavit anno 1599 & 1602. Inter alia *lib. 2, Tit. VII. Alchymiæ* notationem ethymologicam, deinde ejus originem, poſtea aliquos effectus, nempe Latonem ſive æs coronarium, (alias aurichalcum;) dealbationem Sapphyri, ut adamas videatur; Stanni depurationem, ut ſimile ſit argento; aquas fortes ſive cupellas cinericias, quibus mediante plumbo aurum & argentum purgantur à vilioribus mineris, deſcribit.

§. 3. His præmiſſis quæſtionem illam, An *Alchymia ſit licita, nec ne?* decidit, dum & Canonici & civilis juris interpretes uno ore hanc quæſtionem affirmare dicit, non obſtantibus illis, quæ ex jure Canonico objiciuntur.

§. 4. Fundamentum affirmativæ ſententiæ in eo ponit, quod omnia metalla ex ſulphure & argento vivo ſive mercurio procedant: quæ ſi recipiant aërem, aquam & ſolem ſatis idioneum, in aurum conventantur, at ſi de temperamento deficiant, ut ad perfectionem illam deduci nequeant; tum argentum inde conficiatur, aut ſtannum aut plumbum, aut æs pro influxu, & diſpoſitione elementorum.

§. 5. Artem igitur humanam non transmutare unam ſubſtantiam in aliam ſtatuit, ſed calorem & temperamentum habere vim ac poteſtatem, ſulphur & argentum vivum commutandi in aurum.

§. 6. Quod ſi ob defectum fieri hoc non poterit, tum Alchymiſtas cum arte ſupplere calorem & temperamentum illud, quod ſi naturaliter adfuiſſet, utique in ipſum ſulphur ad auri ſubſtantiam deductam fuiſſe ait.

§. 7. Tandem concludit, Artem quidem veram eſſe poſſe, ſed pauciſſimos, imo vix unum eſſe, qui eam cal-

calleat; ſe credere. Nam, qui hanc profitentur, aut fatuos eſſe, aut admodum proclives ad paupertatem. Tritum enim eſſe vulgi ſermone proverbium: *Nunquam vidi Alchymiſtam divitem.*

Cap. XXVII.
De Henrico Salmutho.

§. 1.

HEnricus Salmuthus Civitatis Ambergenſis in Palatinatu Superiore, ad Electorem Bavariæ nunc ſpectante, Secretarius & Feudorum Præpoſitus Anno 1599. & 1602. duos Guidonis Pancirolli libros, priorem nempe de rebus deperditis, poſteriorem de novis repertis & recens inventis edidit, ac prolixo commentario illuſtravit.

§. 2. Hic Salmuthus ad Tit. VII. libri poſterioris, multa ex multis aliis auctoribus ad jus directe quidem non ſpectantia congesſit, quia tamen admodum elegantia ſunt, & præterea Chymiæ famam â malevolorum ſugillationibus vindicant, præcipua ex ejus commentario adducenda eſſe reor. Verba ejus ſunt:

§. 3. Recentiores artem Spagiricam vocant, vel ἀπὸ τῦ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, quod, ut annotat Quercetanus, *in Antido. ſpagir. Sclopet.* per eam eliciatur, ac tum cogatur comprimaturque ſubtilis quædam & ſpritualis natura, in qua vis & effectus medicamenti præcipue conſiſtit, vel ut placet Libavio adverſus *Gramannum & libro I. Epiſtolarum Chymicarum Epiſtola ſexta*, quaſi magiricam aut excoctoriam.

§. 4. Non deſunt qui deſtillatoriam vocant, â deſtillationibus artificioſis, quam tamen Hieronymus Rubeus

beus *Sect. IV. libro de Deſtillat.* diverſam facit à Chemia: ſed ita, ut una ex altera ortum duxiſſe videatur: & qui ad deſtillationem metallorum præſertim incumbit, is ſtatim ab omnibus ferè Chemicæ arti operam navare credatur. Facit enim *Deſtillationem* rei Medicæ, præparationem ad uſum Medicum: *Chemiam* verò metallorum transmutationem & perfectionem.

§. 5. Libavius contra Chymiam eam dicit Alchymiæ partem, quâ perficiuntur quævis opera chymica, eſſentiæ, magiſteria, &c. *Lib. 2. Alchymiæ cap. 1.*

§. 6. Gerardus Dornæus *in Clave lib. 1. cap. 1.* & alibi conſtituit eam Theoricam & Practicam, ut Philoſophiam, quam etiam dicunt, ſed cum adjectione, *PHILOSOPHIAM ADEPTAM:* licet artis hujus profeſſores etiam abſolutè, & abſque adjectione iſta, *Philoſophos* ſe appellent.

§. 7. Etſi autem Dornæus & alii, ſubjectam artis materiam ponunt vegetabilia, mineralia, & animalia, in quibus ad medicinam præparandis, ſeparatione impuri à puro, verſatur: qui tamen uſum medicum *primò* non ſpectant, ſed Politicum aut Oeconomicum, hoc eſt, divitias & delicias, illi totam occupatam cenſent circa metalla & metallica.

§. 8. *Primò* dixi. Nam, quod decantatum illum lapidem Philoſophicum, cum *Gebro Mauritano & Dornæo*, ut poſtea dicetur, medicinam faciunt, non minus corporum noſtrorum, quàm metallorum: id prætexi magis, quam credi à pleriſque hanc artem tractantibus cenſent *Sapientes*, qui ubique rari.

§. 9. Ex eorum numero, qui Alchymiam ad metalla & metallica adſtringunt, eſt Pancirollus noſter, ut colligere eſt ex iis, quæ ad hanc artem & vetera & recentia profert inventa.

§. 10. Ex veteribus eſt aurificium; ex recentioribus, Lato, Sapphyri dealbatio, Stanni præparatio, Aqua fortis, & probatio per cupellam.

§. 11. Verùm ſunt longè plura, ſi non vetera, ſaltem recentia; quæ cum in certa redigat capita Chryſorrhimon, operæ pretium duxi ea hîc adſcribere.

§. 12. *Ait ergo Chryſorrhimon:* Ab ingenioſis hominibus quædam ita ſunt eruta atque vulgata, ut jam artes amplius dici non mereantur; quædam autem inventa nondum ſunt: Quædam inventa quidem ſunt, ſed ea pauciſſimis atque ferè nemini tot ſeculis conſtiterunt.

§. 13. Ex quibus unum eſt præcipuum (unicus totius artis Chymicæ ſcopus ac verus finis) miro tamen artificio altoque ſilentio ſemper abſconditum, ut arcanum dici adhuc mereatur.

§. 14. *Et paulo poſt*: Chymica inventa ſunt partim circa metalla, partim circa metallica.

§. 15. Circa metalla hæc ferè poſſunt conſtitui: Ea commiſcere ſimul, ut aliquid aliud eſſe appareat: Ea immutare, ut circa ferrum & æs maximè ſolet contingere: ponderi adjicere, aut, quod facilius, detrahere: ſolidiora quædam reddere: colorem in quibusdam mutare, ut circa ferrum ut plurimùm: molliora quædam, alia duriora efficere: omnia verò hæc absque fallendi ſtudio.

§. 16. Alia & quidem ſubtiliora, circa metallica verſantur, ut deaurationes, argentationes, ſeparationes. Ex quibus indagatæ ſunt metallicorum admirandæ vires, ſympathiæ, antipathiæ, ut Antimonii, Hydrargyri, Caphuræ, Sulphuris, Chryſocollæ, plumbi cinerei, & candidioris cum auro, argento, orichalco, &c.

(§. 17. Huc

§. 17. Huc pertinet pyrii pulveris inventum, & vitri in longiſſimas lineas deducendi ſcientia. Omitto ea, quæ ad remedia pertinent, deſtillationes, ſuffitus, fuſiones metallicas; quibus vix quicquam ingenioſius accuratiusque.

§. 18. Quæ autem inventa nondum ſunt, de iis verba qui facere poſſum? Inveniri tamen plura poſſe exiſtimo: veluti vitrorum absque igne mollities, Electri compoſitio, lapidum durisſimorum fabrefactio, aquarum tenuisſimarum excoctio, &c.

§. 19. Quæ verò inventa ſunt, ſed paucisſimis conſtant: ex his eſt; vitrum in adamantinam duritiem perducere: morbis deſperatis ex metallis & metallicis præſentisſima ac ſubita exhibere remedia. Item contra venenorum omnium vim antidotum exquiſitisſimum certiſſimumque.

§. 20. Poſtremo quod omnium eorum, quæ enumeravi, vim atque efficaciam excedit, eſt certa ac compendioſa methodus, qua ſublitiſſimi ſpiritus parantur, quorum efficacia abſolutiora metalla multiplici proportione perfectiora atque auctiora (nullâ prorſus tentatâ fallaci metamorphoſi) produci poſſunt.

§. 21. *Et paulo ſupra:* Ad hunc ſcopum pertingendum cum tot ingenia fruſtra laborarint: Ut tamen aliquid egiſſe vulgò videantur, ad ſophiſticam confugere exiſtimarunt, & ſic aureo, quod dicitur, hamo piſcati ſunt. *Hæc ille.*

§. 22. *Pergit Salmuthus*: Ad hanc Sophiſticam ſunt, qui referant lapides ſeu tincturas auri particulares, quas ſic dicunt, propter Univerſalem: qua de multus eſt Henr. Khunrath *in ſua confeſſione, præſertim cap. 9.* ex auctore Conſilii

ſilii, Solis & Lunæ, Comite Bernhardo, Riplæo, Zacharia, aliis Philoſophis poſt Gebrum, qui hoc dat conſilii *c. 7. Sum. perfection.* ut deſertis particularibus, quæratur *Lapis.*

§. 23. Hujus Lapidis materiam ajunt eſſe parvi, imo nullius pretii: ubique inveniri: ideoque ipſum ubique parari poſſe; & facilè: nec fas tamen eſſe, nomen materiæ proprium, ut cæteram artem præparandi (nam in his duobus nempe, *1. Materiæ cognitione, 2. ejusque debita præparatione* totum Chymicorum officium conſiſtere ait *I. Aurelius lib. 2. Chryſopœiæ*) divulgare, niſi ubi non prodeſt.

§. 24. Loca allegantur in *Henrici Khunradi Confeſſ. cap. 1.* ex philoſophis: ſed explicantur tum ab aliis, tum vel imprimis *Theobaldo Hoghelande lib. de Alchemiæ difficultate.*

§. 25. Porro de artis hujus, quando partes variæ ſunt, & late patent, autoribus & antiquitate quæritur variè. In ſacris habemus Thubalcain, filium Lamech erudiiſſe omnem fabrum ærarium & ferrarium. *Geneſ. IV. v. 22.*

§. 26. Inde credunt quidam, annotante Libavio *lib. 1. Alchymiæ cap. 1.* eum primum in aliqua artis parte ſudaſſe, quæ dicitur metallurgia, quaſi verò hinc amplius aliquid concludi poſſit, quam quâ ad agriculturam faciunt illa metalla aut eorum uſum, & in univerſum cognitionem, de qua diſputat Polydor. Vergilius *lib. 2. c. 19.* poſt Plinium.

§. 27. Artem vero transmutandi metalla in aurum & argentum omnes vendicant cuidam Hermeti Ægyptio ſeu Mercurio Triſmegiſto: quem ſic dicunt, non tam ad differentiam cæterorum (tres enim à Roberto Caſtrenſi, & quatuor à Rubeo numerantur) quam ad laudem.

§. 28. Qua

§. 28. Qua de re ſic ſcribit Robertus Caſtrenſis *in præfat. ad Morienum Roman.* à ſe ex Arabico Latinè, quamvis minùs eleganter, converſum: *Legimus in hiſtoriis veterum, tres fuiſſe Philoſophos, quorum quisque Hermes & Mercurius vocabatur. Primus fuit Enoch: alter Noë: tertius qui poſt diluvium in Ægypto regnavit diu.*

§. 29. *Iſte autem à noſtris Anteceſſoribus dictus eſt Triplex, propter trinam virtutum collectionem, ſibi à Deo tributam. Erat autem Rex, Philoſophus, & Propheta.*

§. 30. *Is verò fuit, qui poſt diluvium omnium artium & diſciplinarum, tam liberalium, quam mechanicarum primus fuit inventor & editor.*

§. 31. Hactenus ille, *ſc. Caſtrenſis*; Eandem rationem nominis Triſgemiſti reddit Paulus Scaliger *lib. 4. Epiſtem. Cathol.* verum Tabula Hermetis Smaragdina quæ dicitur, ſeu ſermo veridicus, ut Dornæus vult, *præfat. comment. in ipſam*, huic inſtituto convenientiorem reddit, his verbis: *Vocatus ſum Triſmegiſtus, habens tres partes Philoſophiæ totius mundi.*

§. 32. Thomas Mufettus Anglus *Epiſt. Chim. 3.* coætaneum hunc Moſi facit: Paulus Scaliger, *loco citato*, pronepotem Atlantis promethei phyſici fratris.

§. 33. Moſis autem nativitas cadit in Ann. Mundi 2373, qui eſt ante Nat. Salvatorem noſtrum 1598.

§. 34. Argonautarum expeditio circiter anno M. 2740 ante N. Chr. 1231. Ultra ergo mille octingentos viguiſſe hanc artem in Ægypto ante Diocletianam Chymicorum librorum devaſtationem, de qua ex Suida auctor noſter loquitur, rectè poteſt colligi.

§. 35. Cum autem Moſes eruditus fuerit in omni ſapientia Ægyptiorum adeò, ut potens eſſet in dictis & factis

Actor. 7. verſ. 22. fortè quis hinc concluſerit, neque eum ignoraſſe hanc artem: eoque amplius, ſi verum eſt, quod affirmare non dubitat Dornæus, Triſmegiſtum tabulam ſuam Smaragdinam, in qua contineri artificium hoc, omnes contendunt Chymici, ex hiſtoria creationis omnium, ut à Moſe deſcripta eſt, deſumſiſſe.

§. 36. Sic enim ait *libr. de luce Natur. præfat. expoſit. ad tab.* Hermes ille Triſgemiſtus, cognomento Mercurius, in doctrina Geneſis per Moſen tradita non vulgariter inſtructus, hanc poſteritati phyſicam Spagyricam inde deſumtam reliquit.

§. 37. Quæ ſi vera ſunt; quis non cum Pancirollo dicat hanc artem eſſe antiquiſſimam? Omnes autem commentatores, ut Hortulanus, R. Lullus, Arnaldus de Villa nova, Com. Bernhardus, Libavius & alii, præter unum Dornæum, ſenſu allegorico potiſſimum de metallorum transmutatione expoſuerunt.

§. 38. Ille enim de univerſali medicina tum præparanda ex vegetabilibus, mineralibus & animalibus: tum applicanda corpori & animo explicat, ut videtur, ingenioſiſſimè.

§. 39. Verba ſunt *Comm. ad tab. Hermet.* hæc: *eſt igitur ſcopus iſtius Hermeticæ doctrinæ, Medicina quædam univerſalis, quæ nedum inſenſatorum corporum, ſed hominum etiam corruptiones, atque morbos omnes indifferenter auferat:*

§. 40. Et mox: *Non parùm ſanè ſe feciſſe putent homines, ſi tot ac tam varias corruptiones amoverint: quandoquidem ultra quod ſanitatem corporis hac ratione ſibi conciliare valeant, mentis etiam tenebras omnes atque velamina tollunt, quibus amotis facilè veritatem cum creaturarum, tum conditoris omnium Dei ad ejus gloriam proximorumq; ſalutem, diligentius exquirunt,* &c.

§. 41. Hoc

§. 41. Hoc eſt, Phyſicè, Chymicè, & Theologicè ſeu Metaphyſicè & Moraliter exponit, tum *lib. de Luc. Nat. phyſica*, tum ex profeſſo, & diſtinctè magis *Comment. in tab.* tum deniqùe cæteris à ſe editis libris.

§. 42. Alii perſpicuè magis requirunt CHAOS, & ejus elaborationem: quæ conſiſtit in ſeparatione & fixione: quando condita ſunt primum, referente Moſe omnia.

§. 43. Videatur Paracelſi & Dornæi expoſitio Geneſeos. Henricus Kunradus *Confeſſione* ſua ad myſterium incarnationis confert hoc negotium. Sunt, qui ad alià ſacra. An autem hoc profanare ſit, Theologorum eſto judicium.

§. 44. Ab Hermete, quaſi per manus tradita & propagata eſt Chymia ad Arabes, qua de re audiamus Th. Mufettum: *Chymiam*, inquit, *tractavit Mercurius ille ter maximus, circa Moſis ætatem natus, ſed ita obſcure, ut capere eam nec coævi, nedum Latini potuerint.*

§. 45. Succesſit poſtea Zoroaſtres Salomo, & poſt ipſum Arabum familia, quorum tamen ante Gebrum nemo, quod ſcimus, Chymiam definivit, ſuiſque organis, actionibus, materia, effectibus locupletavit.

§. 46. Huic tamen Paracelſus, aliique præclari Chymici tam ſermonis perſpicuitatem, quam rerum ordinem addiderunt, vereque affirmare poſſunt illud de ſe ipſis, *Ditavit ille nos, & nos illum.*

§. 47. De Zoroaſtre Clemens Romanus Pontifex ſcripſit, eum ob reconditos haud dubiè ſcientiæ Theſauros, Magiæ Magiſtrum & DEI amicum, Perſis fuiſſe creditum, quamvis fulmine ictus interiiſſet. Cum & in Græcia multi ſimili fato peremti & ſepulcro honorati legantur.

§. 48. Ægy-

§. 48. Ægyptii, teſte Suidâ, artem Chymicam occultam ſurvârunt, unde minus mirum eſt, ad Græcos & Latinos tardiùs hanc perveniſſe: licet nobiliores olim Philoſophi, ut Democritus, Pythagoras, Plato, alii in Ægyptum dicantur profecti, ut Magiæ arcana, quibus medicina annexa fuit, addiſcerent. *Cicero l. 5. de finibus l. 4. Tuſculanarum, Philoſtrat. in vita Apollonii lib. 1.* cum certum ſit, Ægyptios medicinam admirandam & feciſſe & illuſtraſſe magiâ illa naturali, quæ & rerum naturalium ſympathiæ & antiphiæ, peritia conſpirantibus aſtrorum, & non raro etiam ſpirituum vicibus conſtabat, ut ex Plinio & Suida docuit Joh. Langius *Epiſtol. Medicin. lib. 1. c. 2.*

§. 49. Apud neminem certè ex antiquioribus ſive Græcorum ſive Latinorum, quod ſciam, Chymiæ nomen extat, nedum res. Suidam tamen & Julium Firmicum, Virum Conſularem, qui Conſtantini Imperatoris tempore ab annis jam mille ducentis & amplius vixit, ſupra excepi.

§. 50. Is enim Alchymiæ nominatim meminit ſcientiæ *lib. 3. ſua Matheſ.* (quam vocat diſciplinam Ægyptiam) *ad Mavortium Lollianum cap. 15.* dicens Lunam in Nono ab Horoſcopo loco in nocturna genitura hominem ad ſcientiam Alchymiæ propenſum reddere.

§ 51. Nam quæ ex Ariſtotele vulgo afferuntur, ad transmutationem parum faciunt. Non multo plus facit, quod teſte Plinio *lib. 33. c. 4.* Cajus Princeps ex auripigmento aurum fecit. Plus enim ibi ſeparationis, quam transmrtationis eſt, ut ex contextu patet.

§. 51. Sed quid multa? Sat antiqua eſt, ſi ſat vera: hoc eſt ſi id præſtare potis eſt, quod promittit ars, ſive particulariter ſive univerſaliter, & quidem non ſine fœnore, quod Artifices, ut hoc obiter dicam, pro ea liberalitate, quæ eſt in

in verbis, vocant multiplicationem in milleſimum, imo infinitum.

§. 52. Jam ſi hoc præſtare potis eſt ars, rectè Pancirollus cum Juris utriusq; interpretibus concludit: EAM ESSE LICITAM. Sed inde tamen non efficitur, animum eſſe applicandum. Nam & difficilis eſt ejus adſecutio, & periculoſa poſſeſſio. Quæ uti more meo expoſuero, quantum licet per eos, quos conſului auctores, finem faciam.

§. 53. Principiò de Artis veritate diſputanti non poſſunt firmiora eſſe argumenta, quam quibus uſus eſt Pancirollus noſter ductis à ſenſu ſeu experientia, & ratione. Inde enim alia omnia robur capiunt, quæ in utramque partem diſceptantur, non tam in hoc, quam omni alio negotio.

§. 54. Qui veritati ſe oppoſuerunt, ut *Agricola, Cardanus, Scaliger, Carrerius Fenottus, Eraſtus, Aubertus, Seidelius*, & nuperrimè, quod ſciam, *Moreſinus Scotus* (prætereundas enim cenſeo quodlibetarias infinitorum Scholaſticorum, & hujus fecis quæſtiones) cum aut negare debuiſſent experientiam & ſenſum.

§. 55. Aut, ut ait Libavius *Syrraxi Metall. Theſ. 40. & 43.* modum, quem poſuere artifices, in genere per rationes Logicas, hoc eſt, ex mera phantaſia deſumptas, aggresſi ſunt oſtendere, *non poſſe fieri artificiale metallum.*

§. 56. Quantò rectius illi, quando, ut idem ait, Peripatetici ſunt omnes, audiſſent ſuum Magiſtrum & Principem Ariſtotelem, præclare & propè divinè monentem, in iis, quæ ſenſilia ſunt, non rationem, ſed ſenſum (quippe judicem omni exceptione Majorem) eſſe conſulendum?

§. 57. Qui etiam neglecto ſenſu, rationem quærere (quando diſputat contra eos, qui omnia dicebant moveri *8. Phyſ. 8. t. 22.*) inbecillitatem mentis meritò cenſet, & abſurdum præter rem imaginationi ſeu rationi credere *3. Phyſ. t. 37.* imo inſaniâ amplius, contra evidentiam opinari *1. de ortu & interitu cap. 3. t. 59.*

§. 58. Senſu enim conſtat & experientia, ſeu teſtimonio indubitato, & factum eſſe aurum (nam de hoc potiſſima lis eſt) & factum eſſe ea arte, quam nôrunt Artiſtæ, profitentur Sophiſtæ, fraude ea, quam multiplicem (ſex enim & triginta ejus ſpecies recenſentur) ex Riceni Thraſibuli admonitione, *ad calcem ſuæ Confeſſ.* benè docet Henr. Khunradus.

§. 59. Quoniam hujus jam facta eſt mentio, non ab re duxi, ex admirandæ diligentiæ ejus Amphitheatro ipſamet illius verba hîc adſcribere, ut quanta & quàm ampla experientiæ, de qua dixi, vis ſit atque poteſtas omnes intelligant.

§. 60. Hanc ille certè & meritò in hujus pugnæ acie collocat prima, præferens eam rationi, Sapientibus, Mentis igniculis, Naturæ parenti, conſenſui typico, &c. Tot. enim argumentis utitur, quibus *LAPIDEM eſſe* demonſtrat.

§. 61. Sic enim ait *Fig. 3. Amphiteatri; LAPIS PHILOSOPHICUS EST. Hunc enim rerum experientia, omnium etiam ſola magiſtra, infallibiliter atteſtatur: cui refragari, nonne eſſet plus quam ſtultum? Hunc (ab aliis tamen præparatum) virtuoſè efficacem vidit & Pontifex Romanus, & Cæſarea Majeſtas. Viderunt & Reges Orbis terrarum non pauci: nec non Imperii Rom. Electores nonnulli. Viderunt & principes aliquot, Comites, Barones,*

rentes, Nobiles, & propter virtutem & doctrinam à Nobilibus proximi Doctores: imo ex omni gente, Judaica, Ethnica & Chriſtiana, ſtatuque ac ordine paſſim, multi tam Eccleſiaſtici, quam politici; literati pariter atque illiterati, oculis (obſtupeſcentes Naturæ per artem miraculo) viderunt, manibus tetigerunt ſuis.

§. 62. *Sciens loquor. Hos omnes voco teſtes, tu Phyſico-Chemiæ-Maſtix eos interroga, in ſubſidium veritatis, veritatis amantes, rem ita habere, teſtabuntur lubentes.*

§. 63. *Sequitur ratio: de qua priusquam agam, pauca aliorum afferam exempla, qui plura volet, petat ab Artificibus* Gebro Hermete, *inprimis* Roberto Vallenſe, *qui ex profeſſo ſcripſit de Artis hujus certitudine & antiquitate.*

§. 64. *Henricus Cornelius Agrippa* lib. 1. de occulta Philoſ. cap. 14. *affirmat ſpiritu auri, aut potius ejusdem forma & parte puriore imperfecta metalla & argentum vivum in argentum verti poſſe, ſeque id vidiſſe & noviſſe.*

§. 65. Joh. Franciſcus Picus *l. 3. c. 2.* de auro plurima recenſet, quæ quantum potero, in pauca contraham. *Obiit,* inquit, *ante paucos annos Nicolaus Mirandulanus, Sacerdos ex minorum ordine, Senex nobis notus, integer vitæ &c. Is & Bononiæ argentum, & Carpi aurum fecit ex ære, multorum teſtimonio. Fecit & Hieroſolymis, ubi multos annos verſatus eſt: ubi ipſum aurum feciſſe, vivit adhuc, qui conteſtatur.*

§. 66. *Præterea fuit ætate noſtra Apollinaris, ex ordine Prædicatorum Sacerdos, boni nominis, qui non dubitavit amicis affirmare, ſe modos plus viginti conſtanter tenere, quibus verum aurum conficeret.*

§. 67. Romæ publico in templo ſcriptum erat: *AURI EX PLUMBO COLLECTORI.*

 §. 68. Fuit

§. 68. Fuit ante paucos annos Venetiis, qui publico multorum nobilium Virorum teſtimonio ex re parvula, quæ nec piperis grani quantitatem excederet, magnum ſatis auri pondus ex vero argento fecerit.

§. 69. Fuit in ditione mea, qui tribus teſtimoniis ex re tritici granum æquante, argenti vivi unciam vertit in probatiſſimum argentum: atque unum ex his, qui viderunt, cum alloquerer, audivi dicentem; ſe diligenter converſionem inſpexiſſe, colorisque cinerei fuiſſe Medicinam.

§. 70. Vivit adhuc vir mihi notus & amicus, qui plus ſexagies ſuis manibus ex rebus metallicis aurum & argentum confecit, me præſente; nec una tantum via, ſed multis id eſt conſecutus.

§. 71. Vidi in confectione aquæ metallicæ, in qua nec argentum, nec aurum, nec ſulphur, nec hydrargyros poneretur, ex inſperato ſimul aurum & argentum generatum.

§. 72. Vidi aquarum vi ex ære argentum extrahi. Eſt alius, cui, quoties libuerit, ſuis ex furnulis promitur aurum, quod publicis officinis, pro puriſſimo vendit: cui ſatis amplæ ſunt opes &c.

§. 73. Vivit adhuc, cui non deſunt opes, cujus manibus vidi æs converſum in argentum & aurum, ſucco quodam plantæ.

§. 74. Quidam inops monſtratâ ſibi in ſomnis aquâ, aurum fecit: qui item ferrum bis in aurum vertit: ex auripigmento ter quaterve fecit.

§. 75. Vidi alium, qui duobus modis in verum argentum, miſtum auro vertit argentum vivum. Vidi ex Cinnabari, adjectis quibusdam rebus, excluſo auro & argento, ſimul aurum fieri, ſimul argentum.

§. 76. Vidi

§. 76. Vidi ex mera cinabari, olei cujusdam ſimplicis admiſtione aurum & argentum, ſed parvi momenti fieri. Vidi ſæpenumerò hydrargyron, qui erat ex plumbo & ære detractus, in argentum & aurum transformari.

§. 77. Superioribus diebus & oculis vidi & manibus contractavi aurum, quod me inſpectante factum fuit, ex argenti, trium circiter horarum ſpacio, nulla prius facta argenti mutatione, nec in hydrargyrum, nec in aquam.

§. 78. Vidi non ſemel minus decima parte horæ disjici metallum ſic, ut ſulphur alta petierit; hydrargyros ima. Vidi prioris metalli forma prorſus abolitâ, ſubito novam, id eſt, auream ſolertia artis imponi.

§. 79. Ego ſeorſim aurum, ſeorſim argentum diverſis granulis effici uno eodemque pharmaco; itemque ſimul & aurum & argentum eodem tempore, eodemque pharmaco ſæpe numero ſum intuitus.

§. 80. *Hæc Picus.* quibus ſimilia multa leguntur apud H. Rubeum *lib. de deſtillat. Sect. 4. c. 1. & 2.* Libavium *l. 2. Alchym. tract. 1. c. 19.* Robert. Vallenſem *loco citato.*

§. 81. Qui etiam hæc habet: *Homo noſter antiquus eſt Draco noſter. Ille comedit caput ſuum, cum cauda ſua. Et caput & cauda eſt animus & ſpiritus, & anima & ſpiritus ſunt creati de luto: & hoc ex Oriente & Occidente per expellentem nocumenta.* Non mentior, quia, quod dixi, vidi in civitate.

§. 82. Fernelius *lib. 2. de abditis rerum cauſis cap. 18.* ex profeſſo de veritate & ratione artis teſtatur in hæc verba: *Non olfeci modo* (de Lapide Philoſophorum loquitur) *verùm etiam de hoc non parum deguſtavi lucro fœnoreque maximo, ut qui eo ſtudio verum comprobaverim, quod fabuloſo figmento haud abſimile putatur. Dicam veſtro hortatu, non ſolum theſaurum*

ſaurum depromturus; ſed edocturus, quam verè ſubſiſtat.

§. 83. *LAPIS PHILOSOPHICUS, Elixir Arabibus, gignendi propagandìque auri verum ſemen, non è ſulphure, non ex argento vivo aut alio; ſed ſolo ex auro, eoque puriſſimo quærendus eſt.*

§. 84. Maxima vis ſeminis in oleo quodam inhæreſcit, atque id quidem in cæteris inflammari, cremariqui poteſt, in auro autem non poteſt: qua ex cauſa illud nullius ignis ardore torreri, abſumique poteſt, & omnem artis vim tolerat.

§. 85. Fœcundum autem id ſemen ſic eruito: *Auri purisſimi uncias duas, argenti vivi magno artis ſtudio præparati decuplo permiſce, igneque languido diſſolve, dum argentum vivum prorſus exſpiret, priſtinumque auri pondus ſubſideat, in atrum pulverem redactum: qui tamen liquatus poſſit in propriam auri naturam redire.*

§. 86. *Ex hoc dein pulvere igne acerrimo vaporarii aquam continenter elicies, dum pulvis totus in cinerem candidiſſimum & in calcem devergat. Calcem ſepties aquâ reſperge, quæ & toties exſpiratione inde prolecta ſit: Omnique arte elabora, ut hæc impulſione & incurſione crebra ſeſe extenuent & ab omni ſorde feceque purisſima reddant, vires conſecuta ſummas.*

§. 87. Hæc duo ſunt totius artis operisque conficiendi primordia &c. Qui ænigmate hæc contexerunt, hanc aquam appellant *argentum vivum, Calcem, verum ſulphur* quorum permiſtione *Lapis* fit, ut ex aqua farinaque panis.

§. 88. *Opus autem poſtremum ut compleas, calcem puram, obturato vaſe, reconde equino fimo calente, diebus XL. dum in humorem album liqueſcat. In hunc juſtis dierum intervallis aquam ſenſim infunde, eâ quidem via & ratione, quam artis periti abunde explicarunt, ut calx aquam ſuam omnem ſenſim combibens, quaſi illic enutrita in lapidem verum concreſcat.*

§. 89. Hic

§. 89. Hic *Theſaurus* immenſus: hoc verum *Elixir*; hoc frugiferum *auri ſemen*, cujus drachma ſi in 250. liquati plumbi aut ſtanni drachmas infundatur, id univerſum in aurū puriſſimum convertet: imo etiam, ut cum Augurello loquar:

Ipſius ut tenui projectâ parte per undas
Æquoris, argentum ſi vivum tum foret æquor,
Omne vel immenſum verti mare poſſet in aurum.

§. 90. Hæc Fernelius: quæ ut vera non ſint de univerſali LAPIDE; ſatis tamen, ſi de particulari: Adeò autem clara veritatis hujus lux eſt, ut ex ipſis adverſariis aliqui eam non diffiteantur.

§. 91. Et cur tot præſtantes viri diverſarum gentium, tot tamque præclara de hac arte edidiſſent volumina? an in nugis ſuæ famæ & gloriæ præſidium apud poſteros quærebant? Sunt Ægyptii, ſunt Arabes, ſunt Chaldæi, Germani, Hiſpani, Angli: Quos quis enumeret?

§. 92. Agricola certe eorum & numerum & ſtudium admiratur, quamvis transmutationis adverſarius. Sic enim *in præfat. Rer. Metallicar.* Quo minus multi ſunt, *ait*, qui de re metallica ſcripſerunt, eo magis mihi mirum videtur, tot extitiſſe Chymiſtas, qui compoſuerunt artificium de metallis aliis in alia mutandis.

§. 93. Multos *Hermolaus Barbarus*, homo dignitate generis & gradûs, & omni doctrinarum genere ornatus, nominatim protulit.

§. 94. Ego plures proferam, ſed inſigniores tantum. Delectum enim ſervabo. Itaque χημευτικά ſcripſit Oſthanes, Hermes, Chanes, Roſinus Alexandrinus ad ſororem Theoſebiam, Olympiodorus Alexandrinus, Agathodæmon, Democritus, Orus, Chryſorichius, Pebichius, Comerius, Johannes, Apulejus, Petaſius, Pelagius, Africanus,

canus, Theophilus, Syneſius, Stephanus ad Heraclium Cæſarem, Heliodorus ad Theodoſium, Geberus, Callides Rachaidibus, Veradianus, Rhodianus, Canides, Merlinus, Lullius, Arnoldus Villanovanus, Auguſtinus Panthes Venetus: Fœminæ tres, Cleopatra, Virgo Taphuntia, Maria Judæa.

§. 95. Atque hi Chymiſtæ omnes orationem ſolutam uſurparunt, Præter Johannem Aurelium Augurellum Ariminenſem. Quibus ſi annumerarem recentiores, Deum immortalem, quantus extiturus eſſet teſtium numerus?

§. 96. Laurentius Ventura *libro de Arte Chymica* gloriatur ſe 250. volumina in Bibliothecam Illuſtriſſimi Comitis Palatini intuliſſe. Et præter illa 50 adhuc alia habere.

§. 97. In judiciis, ubi de cenſu, capite, fama agitur, duobus aut tribus teſtibus, tam lege divina, quam civili, credendum eſt, & ita difficiles ſumus erga viros tot doctiſſimos & integerrimos, quorum ſcripta proſtant, propter paucorum ratiunculas, quibus toties reſponſum eſt.

§. 98. Universè quidem â Gebro, Ventura, Petro Bono Ferrarienſi: Nominatim autem Quercetanus eruditisſime reſpondit Auberto: Eraſto Mufettus, Severinus, Rubeus, Penotus & Gaſto Claveus ſubpræſes Nivernenſis in doctisſimo libello, qui inſcribitur *Apologia Chryſopæia* & *Argyropæia*.

§. 99. Omnibus Libavius in *Syrraxi ſua metallica* altera; Alexandro Carrerio Patavino *Theſi 46*. Fenetto *theſi, 98*. Eraſto *theſi, 93*. Scaligero *theſi 100*. Auberto cum Fenetto *Theſ. 107*. Moguntinis Baccalaureis *theſi 116*.

§. 100. Solus reſtat Thomas Moreſinus Scotus, qui nuperrime auſus eſt reſumere cauſam Auberti adverſus Quercetanum *lib. de Metallor. cauſis & transmut*. ſed qui & hunc compeſcat, forſan in mundo erit.

§. 101.

§. 101. Omnes certè in eo conveniunt, nihil contra rectam rationem committi, ſi ea, quam dixi, ſtatuatur transmutatio: pro qua confirmandâ infinita prope ab illis adducuntur, ſed quæ hujus loci non ſunt.

§. 102. Cæterum etſi ex iis, quæ diximus, ſatis probabile ſit, ne indubitatum dicam, Artem illam certam eſſe. Aurum enim, quod ſic paratur, omnes in quovis examine retinet proprietates, colorē, cæteraq; accidentia ſubſtantiam auri ſequentia. Non ideo tamen & conſultum videtur, ut nos mari huic adeo impetuoſo committamus.

§. 103. Hoc enim reſtat ad Pancirollum annotandum, qui Artem iſtam vix uni compertam arbitratur, plurimos eâ ad paupertatem redactos affirmat. Nimirum adeò difficilis eſt acquiſitio tanti boni. Et eſt LAPIS PHILOSOPHORUM non cerdonum aut ruſticorum.

§. 104. Præclarè Rogerius Baccho: *In quibus Deus magnam virtutem poſuit, in iisdem etiam magnam difficultatem collocavit.* Difficultates iſtas Alchymiæ ſingulari libro expoſuit Theobaldus Hoghelande, quem & antea laudavi.

§. 105. *Sunt autem hæ, tum in diſcendo, tum in exercendo. In diſcendo, aliæ à diſcente, aliæ à docentibus libris. Diſcens à* DEO *donū hoc petendo impetret oportet, & ut poſſit, ipſe ſeſe præbeat timentem DEI: à peccatis abhoreat: humilis ſit: prudens: doctus: Latini ſermonis peritus: Philoſophus: Naturæ principia ſciens: laborioſus & induſtrius: conſtans: non iracundus: patiens: liber: vacuus à curis: ſecreti tenax: abſtinens à Sophiſtis: non prodigus: non avarus: cautus in declinandis diaboli illuſionibus: & ſufficienter locuples: librorum copiam habens: ſtudioſus: faciat experimentum: Sanus, hoc eſt, corporis, animi & fortunæ bonis inſtructus.* Quos raros eſſe ſuo damno, docet parte prima.

N §. 106. *At*

§. 106. *At major eſt, quæ ſequitur, propter libros, ex quibus petenda ars, intellectu difficiles.* Vel enim ars in iis diſperſa eſt: vel involuta ænigmatibus, allegoriis & ſimilitudinibus: tum ab elementatis, homine, animalibus, eorumque partibus, vegetabilibus, figuris, *gummis, metallis & metallicis.*

§. 107. *Tum ab elementis, diſſimilitudinibus, æquivocationibus, contradictionibus, nominibus inuſitatis, characteribus, literarum transpoſitionibus, pravis tranſcriptionibus, ſtyli varietate, Impoſſibilibus.*

§. 108. Parte tertia explicatur *Difficultas, quæ oritur in exercitatione, tum ex parte materiæ, quæ ut fundamentum operis aſſumenda: tum ex parte regiminis, quibus inſtrumentis tractanda. Ubique incredibilis obſcuritas & perplexitas, ut dictum etiam parte ſecunda.*

§. 109. Hæc hæc illa, non autem (ut putatur) artis incertitudo, cauſa eſt, quod adeo multi, & tantum non omnes, qui huic arti indulgent nimium, non ſolum oleum & operam, ſed & divitias, imo valetudinem & famam perdant, ut meritò cum Hieronymo Rubeo, *libr. de Deſtillat. ſect. 4. cap. 2.* dicere poſſimus: *Eos in ſe mirabilem, quam in metallis non efficiunt, experiri μεταμόρφωσιν*: & cum Democrito Phalereo: *quod capiendum illis erat, minimè hoc capere: amittere quod poſſidebant.*

§. 110. Hæ difficultates ſunt acquiſitionis & incommoda: *At longè difficilior eſt adeptæ fortè poſſeſſio: nunquam certè tuta profeſſio: quæ ferè ſophiſtarum, nunquam ſapientum eſt.*

§. 111. *Præſtò enim ab aliis ſunt inſidiæ, & mille pericula, quæ expertus eſt à Toparcha Picolomineo Bragadinus, deteriori tamen hinc conditioni reſervatus,* ut ait parte quarta hic auctor.

§. 112. Poſ-

§. 112. Poſſent Bragadino accenſeri exempla recentiora fortunæ non diſſimilis ejusmodi ſophiſtis dignæ, præſertim quæ dedit illuſtr. Dux Wirtenbergicus: Sed quia ea in ore omnium ſunt, ad autorem illum redeo: & ex eo Colophonis loco adjicio carmen non inelegans, quando eo hæc omnia ſummatim, ſtatim à principio complecti voluit ad lectorem: ita enim de ſuo libro eum compellat:

Non tibi, Lector, opes Crœſi, non vellera Ponti
Aurea promitto, nec verbis fallere quenquam
Fucatis quæro, potius ſed vera profari.

§. 113. Sic poſtea ſubjungit:

Chemiam vita, ſi mentis cura quieta
Eſt tibi. Namque parum lucri, ſed damna reique
Proluviem, morbosque affert; nimiumque ſenectam
Accelerat triſtem; nec famæ parcit honeſta,
Cultoresque ſuos ſub inani nomine gazæ
Quærendæ ludit miſeros, ſanabile nunquam
Infligens vulnus, quo læſus, pectoris imo
Suſpirans: Fluxas deplorat temporis horas.
Artis at hac minimè, quâ non præſtantior ulla,
Culpa; ſed artificum eſt, hac qui myſteria tentant
Prædari, & clauſas naturæ irrumpere portas.
Qualis ſacrilegus, juris contemtor & æqui,
Perjurus, latro, mœchus, fraudator, avarus,
Stultus & imprudens, & quos Eccleſia telo
Sancta petit crimen propter, ſcelus atque nefandum,
Fur rapiens res alterius, quem cæca fatigat
Ambitio, cogitque inſomnes ducere noctes,
Et ſua profundens nimium, vulgusque profanum,

Hoſtes naturæ cuncti, quos odit & arcet.
Hac ars non facilis, quamvis per vota vocetur,
Quin etiam blandè ſeductos ridet. & auro
Privat, quo poterant felicem ducere vitam,
Contenti tantum propriâ ſi ſorte fuiſſent.
Fædos ſubſtituens fumos, tetrosque vapores,
Argenti vivi, Carbonum & Sulphuris uſti;
Queis inimica luant condignas corpora pœnas
Illorum, temerare manu qui ſacra parentis
Audent naturæ turpi, digitisque nefandis.
Nec tamen his contenta malis: ſed & inſuper addit
Pauperiem, cunctis vitatam, animique dolores
Perpetuos, ſtultæ nec non ludibria plebis.
Doctos atque pios hæc contra amplectitur ultro,
Prudentesque fovet gremio, portasque patentes
Oſtendit, ducitque manu, penetralibus imis
Sepoſitum monſtrans theſaurum & ſumere mandans
Quantumcunque velint, ceu præmia grata laborum,
Et fructus ſtudiis meritos ſi fata Deusque
Annuerint. Si non: ſalvos permittit abire,
Corpore nec rebus læſos, animique potentes
Gaudentes Chriſto grates perſolvere dignas,
Qui bonus avertit, poterant quæ fortè nocere.

§. 114. Quippe cum toties & tam anxiè à tam multis ingens illud bonum, quod ars iſta pollicetur, fuerit indagatum: at rariſſimè à quam pauciſſimis inventum, ut non deſint, qui Chimiſtas ſubjiciendos eſſe exiſtiment acerbæ illi Agenoris Sidoniorum Regis legi, qualem Cadmo filio ipſe præſcripſerat, ut ne, niſi inventâ ſorore, nunquam rediret: itaque aut inveniendam, aut pereundum eſſe.

§. 115. Nec vero animus mihi eſt, ſingula, quæ in artis hujus cultores indifferenter quidem, jure tamen in circulatores illos, aliosque ejus farinæ paſſim evomuntur, hîc recenſere.

§. 116. Miror tamen ipſum etiam Jul. Cæſ. Scaligerum affirmare non dubitaſſe, *Exercit. 21. ad Bardan.* ſe Chymiſtas odio odiſſe plus quam Vatiniano. *Sunt enim*, inquit, *Noctuæ ad aucupia crumenarum, à quibus aurum, quod poſtea pollicentur aliis, ſibi captent prius.*

§. 117. Hinc Alchimiam Philipp. Melanchthon Sophiſticam quandam impoſturam nominabat, *In explicat. Evangelii in feſto Epiphan:* Petrarcha mentiendi & fallendi artem, *lib. 1. de remed. utriusque fortunæ*, dial. III. Peucerus eo amplius etiam Dæmonis præſtigias dicebat *in divino Divinat. tract.*

§. 118. Nec enim, ſi eidem Petrarchæ credimus, ex Alchimia ulli alii ſucceſſus ſperandi ſunt, præter fumum, cinerem, ſudorem, ſuſpiria, verba, ignominiam, quibus inopem nunquam ad divitias evectum, multos à divitiis ad inopiam redactos ſæpè vidimus.

§. 119. Notatumque eſt, aliquos cæteroquin prudentes, hâc inſaniâ laborare: quosdam opulentisſimos hac vanitate conſumptos, dumque opulentiores fieri ſtudent, & fœdo quæſtui inhiant, benè parta prodigere, cenſuque omni in ſupervacuis effusô, tandem neceſſariis etiam fuiſſe deſtitutos; nonnullos denique amiſſis primum animi luminibus, in hoc exercitio corporeos inſuper oculos amiſiſſe.

§. 120. Magna quidem promittunt Alchymiſtæ: ſed ea ſibi præſtare debebant, quæ promittunt aliis, primumque ſuam pellere inopiam. Eſt enim fermè mendi-

cum genus hominum: cumque ſe pauperes fateantur, ditare alios volunt: quaſi aliena illis, quam propria, moleſtior ſit paupertas.

§. 121. Adverſus has fuliginoſas Chymicorum fallacias extant Natalis Comitis verſus non ineruditi *lib. 2. Mytholog. 6.* quos ut apponerem, ipſe mihi Cynthus aurem vellit, & admonuit:

Ars fallax, inviſa bonis, dulcedine captos
Jucundè ut perimis! de mentibus improba Siren.
Naturam ſuperare putas te poſſe per ignem?
Stulta, quid inſanis? te longis paſſibus illa
Deſerit, ac tandem nil perficis, illa colorum
Te fallit rerum, te fallit mille figuris.
Sic fertur Protheus ſe in multas vertere formas,
Cum fieret ſerpens dirus, cumque unda, vel ignis.
Uris opes, properans quas fumus portat in auras.
Inde ardens miſeris torquet præcordia virus,
Exitialis amorque auri, ſævique dolores,
Quos ſemel inſana fallacia ceperit artis.
Occupat hæc nulli miſero veſania mentem,
Ne pro peccatis hominum Sator atque Deorum
Supplicia, ingentesque paret mox ſumere pœnas.
Mendici fiunt, ſemper caligine barba
Squalet, & immodico turpantur pallia fumo.
Et nova quærentes ſemper mendacia jactant,
Defeciſſe ſibi vires, ubi nova reperta eſt
Mercurium ratio, quâ poſſint ſiſtere in aurum,
Ad notos homines inde hæc contagia ſerpunt.
Si quenquam arripiant, qui ſtultas præbeat aures;
Non prius effugiet, quam & ſit perpeſſus eandem
Fortunam, ſcopuloque ratem confregerit una.

§. 122. His

§. 122. His accinunt de Alchymiæ obſcuritate ſive ſubtilitate rythmi Germanici antiqui, exhibiti nobis à Georgio Remo JCto *in Not.* ad Themiſtii orat. pag. 181.

Nimb daß / ich weiß nicht waß /
Thue es do / ich weiß nicht wo /
So wird es dann / ich weiß nicht wann /
Blaſe drauß / biß nichts bleibt im Hauß.

§. 123. Nec poſſum non apponere hoc loco illud Italicum,

Sono ſei coſe; che atqui ſtà
Lipazzo & matto Alchemiſta
Fatti che, fumo, fame,
Fetore, friddo & fune.

ab Hippolyto Guarinonio recitatum atque Germanicè redditum *l. 6. de abominatione deſolationis generis humani. c. ult.*

Sechs Stück thun aus Alchemey folgen /
Müh / Rauch / Hungr / G'ſtanck / Froſt und Galgē.

§. 124. Et paulo poſt ſequentes adjicit rythmos:

Ein Betrug der gantzen Weld
Iſt wahr / und hat doch nicht gefehlt:
Wol dem ders glaubt /
Und nicht drauff baut /
Dem wird nicht leicht geſchehen /
Daß er ſein Leyd /
An ſtatt der Freud /
Zur letzt muß anſehen.

§. 125. Sed quid de his ſtatuendum ſit, æquus æſtimabit lector. Equidem ne litem hanc meam faciam, cenſoriam hîc virgulam adhibere nolo: Amantiſſimum interim

terim lectorem, & artis aurifactoriæ cupidum ad Martin. Del-Rio Jeſuitam, qui *libro 1. diſquiſit. Magicar. c. 5.* rem omnem per quæſtiones aliquot breviter & dilucidè examinat, remitto.

Cap. XXIIX.
De ARNOLDO REYGERO.

§. 1.

ARnoldus de Reyger, Celeberrimus Germaniæ noſtræ JCtus, Anno 1596 Academiæ Jenenſis Profeſſor Publicus, pariterque Illuſtris Aulæ Magdeburgenſis Conſiliarius, Proceſſum Judicarium ſecundûm Jus Civile, Canonicum & Saxonicum quatuordecim diſputationibus propoſuit, & Conſiliariis Saxo-Jenenſibus dedicavit; dedicationem his verbis claudit. *Halæ Saxonum, ipſo die Antonii, qui fuit XVII. Januarii, mihi natalis, quo DEI Gratia 37 ætatis annum complevi A. O. R. 1596.*

§. 2. Anno 1661. publicavit Joachimi Mynſingeri à Frundeck J C. aliquot Reſponſa, nempe centuriæ ſecundæ decades quinque priores. quo tempore, ut ex Titulo patet, fuit *Hereditarius Nobilis in Gladbecke, Conſiliarius in aula ſeptemvirali Brandeburgica, & Aſſeſſor Judicii Provincialis in veteri Marchia.*

§. 3. Anno 1604. Theſaurum Juris ordine alphabetico diſpoſitum edidit, & Decano cæteriſque Canonicis Magdeburgenſibus dedicavit, & in fine hæc addit: *Scripta Berolini, XVIII die Julii, qui dies aliâs Arnoldo quibusdam in locis ſacer eſt, & hoc nomen mihi etiam ante XLV Annos inditum in ſacroſancto baptiſmatis fonte, DEO Opt. Max. ago gratias*

ſtas & Spiritûs ſancti auxilium indeſinenter imploro: Anno λόγε incarnati M D CIV.

§. 4. Anno cIↃ D IC. priorem, & Anno cIↃ DC IX alteram Joachimi Mynſingeri Obſervationum Cameralium editionē adornavit&auxit,ut ex his præfationis patet verbis: *Prodeunt denuo Mynſingerianæ Obſervationes cum auctoris autographo collatæ, correctæ & à me multis acceſſionibus,præſertim novis quibusdam ſingularibus, quæ mecum celeberrimi quidam Domini Camerales, Advocati & Procuratores communicârunt, paſſim inſertis auctæ.*

§. 5. Dedicationem adSereniſſ. Elector.Brandeburg. Dn. Johannem Sigiſmundum ita finit. *Datum Berlini 17. Januarii, die divo Antonio ſacro, quo annum ætatis quinquageſimum, atque ita mihi quaſi Jubilæum, Dei benignitate & gratia, complevi, ſequentes, quos additurus eſt DEUS, gratiâ fortunet ſuâ, anno Dei-hominis M DC IX.*

§. 6. Anno cIↃ IↃC XVI. denuo & quidem auctiorem ac *nitidiore quaſi*. ut loquitur, *veſte* indutum, in lucem edidit ſuum theſaurum Juris,& Reverendiſſ. Archiepiſcopatûs Magdeburgenſis Adminiſtratori,Dn.Chriſtiano Wilhelmo, Marchioni Brandeburgico, dedicavit, his in fine adjunctis: *Scripta Berolini 17. Januarii, Antonii die, quo primum hujus lucis uſuram ante 57. annos inſpexi: Lux illa inacceſſa me porro ſuo Spiritu regat, ut ipſi grata, ac Reip. commoda & ſalutaria, multisque fructuoſa dicam faciamque perpetuò. Anno reparatæ ſalutis cIↃ IↃC XVI.*

§. 7. Plura ab eodem edita fuiſſe, nullum eſt dubium, imprimis cum Johannes Bechtoldus in Locis ſuis Communibus alleget diſputationes ſive tractatûs duos, alterum *de Doctoralis dignitatis aliusque gradûs aſſumtione, generis nobilitatem minimè obfuſcante: alteram de Notariatûs arte.*

§. 8. Ex jam adductis patet noſtrum Reygerum Anno cIↃ IↃ LIX. die XVII Januarii natum, & infucatæ pietatis cultorem fuiſſe.

§. 9. In Theſauro ſuo, ſub verbo *Ars* §. 4. ſequentia habet: *Quod ſit licita ARS ALCHIMISTICA, probatur per rationes pro & contra per* Johannem Andream *in addit. ad ſpec. ſub Rubr. de crim. falſi.* Bald. Alvarott. & Andr. de Iſernia *in tit. quæ ſunt regalia* in uſib. Feudor.

§. 10. Sed Aurum Alchimiſticum an poſſit vendi pro vero Auro, & an habeat tantas proprietates, dixit remiſſivè Jacob de Bellowiſ. *in Pract. ſua Judi. c. de injuriis, mihi num. 16. verſu*, ſed num quid aurum. per Oldradum *in Conſil. 74. de ſortilegiis*, quem ſequitur Abbas *in c. ex earum tenore. X. de ſortilegiis.*

§. 11. Item illam artem approbat Fabianus de monte S. Severini, *in tract. de Emptione, qu. 5. num. 8* Albericus deRoſate *in dictionar. in verb.* Alchimia, *& in verbo.* Emptio. Albertus Brunus *in tract. de augment. & dimin. monetæ, in prima præſuppoſit. n. 13 & 14* Joh. de Platea *in l. un. C. de argenti pretio, quod Theſaur. infertur lib. X.* Omnes eo concludunt, ſi fiat ſine arte magica, licet per accidens ſæpiſſime abuſus multorum interveniat.

§. 12. Nemo eſt ſic in contraria ſententia, niſi Angelus *in ſumma ſua Angelica lit. A. verſu Alchimia*, inducens duas principales rationes. Sed probatur tanquam ſingularis, & ex regulis Dialecticorum ab eo, quod per ſe ineſt, ad illud, quod per accidens accidit, non valet conſequentia.

§. 13. Item plus eſſet in concluſione, quam fuerit in præmiſſis. Item utuntur iſto argumento, QUOD IN NULLA LEGE VERA ILLA ARS SIT PROHIBITA, ſed ſaltem ſophiſtica. Allegantur & alii Dd.

CAP.

CAP. XXIX.

De Joachimo Scheplitz.

§. 1.

CElebris hic JCtus, patriâ Marchicus, J. U. L. primùm edidit *Promptuarium Juris Civilis & Feudalis*, vel potius Compendium Juris Civilis & Feudalis Balthaſ. Clammeri prolixo illuſtravit Commentario.

§. 2. Cum verò hunc laborem Viris eruditis haud ingratum fuiſſe animadverteret, Conſuetudines Brandeburgicas, antea ſolummodo MSS. & ab incerto auctore collectas, in ordinem redegit, & ex libris Juris Communis, nec non peritiſſimis Doctoribus, eruditè declaravit, ac anno 1617 Lipſiæ in lucem edidit.

§. 3. Dictarum Conſuetudinum *Parte IV. tit. 4. §. 1.* ubi Prælatis, Nobilibus & Ruſticis mercaturæ exercitium, ſolis civibus conveniens, *per Reverſum de anno 1528.* interdicitur, de Alchimia differendi anſam capit.

§. 4. Ita autem allegato titulo num. 23, 24, & 25. ſcribit: De Alchymia, ut hoc quodammodo obiter quaſi attingam, ſcimus, quid differat Hen. Cornel. Agrippa *de Vanit. Artium & Scient. cap. 90. per tot.* Et licet, *ut inquit*, ipſi ars hæc, quam *Alcumiſticam* vocat, non admodum inimica ſit: attamen nihilominus ſcribit, hæc illam polliceri, quæ natura nullo modo pati poteſt vel attingere.

§. 5. Ideò à noſtris etiam JCtis quæſitum ſcio: An illa, Alchymia nempe, ſit ars licita & permiſſa? Atque hoc in dubio pro ſententia affirmativa, ILLAM ſcil. LICITAM ET PERMISSAM eſſe artem, omnino decidendo concludit Oldradus *Conſ. 47. de ſortilegiis n. 1.*

O 2 §. 6. Quem

§. 6. Quem in hoc ſequuntur Panormitanus *in c. ex tuarum. de ſortilegi.* Joh. Andre. *in addit ad ſpeculat. tit de Crim. falſi.* Andr. de Iſernia *in tit. quæ ſint Regal.* Baldus Peruſin. *in eodem tit. n. 5. in uſib. feudor.* Fabian. de Monte. *in Tr. de empt. & vendit. qu. 1. n. 8.* Albericus de Roſate *in diction. verb. Alchimiæ* Idem *in verb. Emptio.* Albertus Brunus *in tract. de augment. & diminut. monet. in l. præſumpt. n. 13. & 14.* Guido Papa *in ſingular. 388. §. de his.* Joh. de Platea *in l. 1. & ad Rubric. C. de argent. pret. quod theſaur. infer. lib. X.*

§. 7. Quamvis autem contrarium defendat Angelus Peruſinus *in Summa verb. Alchimia.* Verùm hujus rationes & opinionem refellit Hieronymus de Zanetinis *in c. 1. X de Accuſat.* Prout Oldradi & aliorum hac de re opinionem affirmativam propugnat & defendit THOMAS ARFONCINUS *in reſponſo ſuo de jure Alchimiæ*, quod, uti & reliquorum ſupra relatorum judicia, tum argumenta, quibus quisque ſuam confirmat ſententiam, hac de re, pariter reperiuntur in *Theatro Chimico Vol. 1.*

§. 8. Hinc quoque tradit Johannes Nider *in tract. de Contract. mercator. ac empt. & venditione* (qui reperitur in Tract. Tract. volum. V.) *cap. 1. n. 10.* quod quidem venditio auri alchymiſtici ſit fraudulenta & injuſta tùm, quando veram ſpeciem non habet.

§. 9. Si autem per Alchimiam fieret aurum verum, non eſſet illicitum pro vero vendere: quia nihil prohibitum eſſet arte uti, ſicuti nec aliquibus naturalibus cauſis ad producendum naturales & veros effectus.

§. 10. Et cum Thoma hac de re reſpondet Lambert. Danæ. *in Ethica Chriſtiana l. 2. c. 16. fol. 274.* Si à Chimicis fiat verum aurum, rebus & mediis naturalibus adhibitis,

hibitis, illud aurum non eſſe damnandum, modo ne cudant monetam. Formæ enim impreſſio ad ſolum Principem pertinet.

§. 11. Qui vult, poteſt videre Guido. Panciroll. *in libro rerum memorabil. recens inventar. cap. 7.* ubi non modo de origine hujus artis mentionem facit, & latius peragit Henricus Salmuth *in Not. ibid.* Sed inſuper multa lectu non injucunda ab illo ipſo Salmuth de hac arte tàm in genere, quàm in ſpecie, nec non de veritate illius ibid. referuntur.

§. 12. Prout in individuo quoad noſtrum inſtitutum commemorat Pancirollus tàm Civilis, quam Canonici Juris interpretes uno ore affirmare, *Alchimiam eſſe artem licitam.* Et in fine ſubjicit: *Ars quidem vera eſſe poteſt, ſed pauciſſimos, imo vix unum eſſe credo, qui eam calleat. Nam qui hanc profitentur, aut fatui ſunt, aut admodum proclives ad paupertatem.*

§. 13. Eſt enim tritum vulgi ſermone proverbium: *Nunquam vidi Alchimiſtam divitem.* Quemadmodum Salmuth d. loc. fol. 339. inquit inter alia: *jam ſi hoc præſtare potis eſt ars iſta, rectè Pancirollus cum Juris Utriusque interpretibus concludit, eam eſſe licitam.*

§. 14. *Sed inde tamen non efficitur, animum eſſe applicandum ad illam. Nam & difficilis eſt ejus aſſecutio, & periculoſa poſſeſſio.* Et hactenus illi.

Cap. XXX.
De Johanne Brunnemanno.

§. 1.

JOhannes Brunnemannus, unus ex celeberrimis Germaniæ noſtræ JCtis, Berolini in Marchia natus

 anno

anno ↄlↄ Iↄ CIIX. die VII Aprilis, Patre Hieronymo, & Avo Sebaſtiano Brunnemanno, Eccleſiaſte ad D. Petri.

§. 2. Studiis trivialibus abſolutis anno 1627. Wittebergam miſſus, ſequente anno 1628. Magiſterii gradum adſumſit, ſeque illo honore minime indignum eſſe probavit, dum aliorum ſtudia & docendo & diſputando adjuvit.

§. 3. Anno 1632 cum tribus Nobilibus, quorum Ephorus erat, ad patriam Academiam, quæ Francofurti ad Viadrum florebat, ſe contulit, ubi ob multa, quæ diſputando edidit ſpecimina, in Philoſophorum adſcitus ordinem Logicam publicè profiteri cœpit.

§. 4. Theologiam excolere decreverat, cum verò ob vocis debilitatem concionibus habendis imparem ſe deprehenderet, animum mutavit, & ſe ad Jurisprudentiam adplicavit, inque ea brevi tempore tantùm profecit, ut anno 1637 *de Ceſſione Actionum* inauguraliter diſputaret, ac ſequenti anno, nempe 1638 ſummos in Jure honores adipiſceretur.

§. 5. Biennio poſt, nempe 1640. ex Philoſophorum ordine in JCtorum caſtra tranſiit, & Inſtitutiones Imperiales novis Juſtinianis explicavit, donec anno 1645 ad Pandectarum, & anno ſequente 1646 ad Codicis Imperialis Profesſionem admoveretur, à quo tempore eruditisſimam Codicis explicationem, anno 1663 Lipſiæ primùm editam, adornavit, de quo in cippo honori B. noſtri Brunnemanni poſito, & conſiliis ejus adjuncto, hæc verba leguntur:

Codicis è contra meliori ſorte ſuperbit,
Quod ſe perfectum dicere poſſit, opus.
Perpetuus *ſiquidem ſic* Commentarius *omnes*
Afficit inſigni commoditate ſuâ:
Chalcographos ut jam repetita impreſſio feſſos
Reddiderit, vultûs induerit q; novos.

Gallia

Gallia quin, aliàs cui extera pleraque ſordent,
Nil in eo pariter, quod reprehendat, habet.
Exſcriptumque typis Lugduni menſe vel uno
Exhibet, adjiciens nil, minuensque nihil.
In mendis enim, queis prima hinc inde laborat
Editio, ſtatuit relligioſa ſequi.
Adde, quod illorum facta eſt deletio nulla,
Quæ poterant Sedem lædere fortè ſacram.

§. 6. Anno 1653 non tantùm Decretalium Profeſſio, ſed etiam ſplendidum Ordinarii Facultatis Juridicæ munus oblatum, & inſuper honorificus Conſiliarii Electoralis Brandeburgici titulus ei fuit adjunctus.

§. 7. Obiter hoc loco notandum, *Ordinarios* in Facultatibus Juridicis quarundam Univerſitatũ, nempe Lipſienſis, Wittebergenſis Francofurtenſis & Jenenſis idem eſſe, quod *Ordinatores*, qui ſcilicet res Facultatis ordinant. Olim enim cuivis Lectori ſuas lectiones ordinabant, deſides verò officii ſui commonefacere poterant, prout apparet ex Sigismundi Finckelthuſii Oratione *de Collegiorum Juridicorum origine*, item ex Melchioris de Oſſe, Judicii Aulici Electoralis Præſidis conſilio *de conſervanda in Principatu Juſtitia & feliciter regendis Provinciis Saxonicis*, juſſu Sereniſſ. Electoris Saxoniæ Dn. Auguſti, glorioſæ memoriæ, anno 1555. concepto, ſub tit. von der Juriſten Facultät, und ihren Lecturen und Exercitiis.

§. 8. Quamvis in Academiis Saxo-Electoralibus Profeſſores jus denominandi Profeſſores habeant, in perſona tamen *Ordinarii*, teſte Carpzovio *lib. 2. Juriſpr. Conſiſtor. Tit. 25. def. 401. num. 7, 8. 9.* res aliter ſe habent.

§. 9. Abſque ulla enim denominatione Elector Sereniſſimus, de vacantia hujus officii certioratus, ei, quem dignum

&

& idoneum judicat, functionem iſtam defert, ac Facultati Juridicæ præficit.

§. 10. Quod inde procul dubio obtinuit, quia in cauſis arduis Conſilium *Ordinarii* à Sereniſſimo Electore ſpeciatim quandoque requiritur, ut hinc Serenitatis ſuæ haud parum interſit, talem conſtitui *Ordinarium*, cui fidere queat.

§. 11. Propterea etiam Ordinarius Lipſienſis honore & titulo Conſiliarii Electoralis donatur. In quo & id peculiariter receptum, ut perpetuum ſuſtineat Decanatum in Facultate Juridica.

§. 12. Tandem de Beati Viri, qui anno 1672 placidè obiit, cum octies 8 annos, 8 menſes, & 8 dies vixiſſet, inſigni Pietate quin aliqua addam, omittere haud poſſum. Optimè autem illa laudatur in cippo antea allegato his verbis:

JUSTITIA & PIETAS, quas æquo ardore colebat,
Triſtantur, Myſtam non ſupereſſe ſuum.
Atque pii *nobis* Conſulti Juris *in illo*
Exemplar ſtatuunt, præcipiuntque ſequi.
Namque DEum gnarus ſincerum poſcere cultum,
Huic ſoli voluit pectus habere ſacrum.
Sæpius hinc verbi divini tractus amore
Ædibus in ſacris conſpiciendus erat,
Quodque Catecheſis *ſolet hic* Examen *haberi,*
Hunc auditorem vidit adeſſe pium.
Idque domi repetens vitam moresque ſuorum
Imbutos ſtuduit reddere amore DEI.
Luce ſacrâ peragens ſua ſacra domeſtica, ſuetis
Ex Evangeliis, erudiensque ſuos.
In qua ſcriptotenus ſupereſt Meditatio, ſacros
Quæ textûs quatuor partibus *enumerat;*

Quarum Prima *DEI narrat BENEFACTA* benigni,
Sed VITIA in nobis Altera *abundè notat.*
OFFICIA his jungit Pars Tertia, *at* Ultima *menti*
Summatim GEMITUS ſuggerit inde pia.

§. 13. Varia elaboravit ſcripta juridica, quorum aliqua ipſe edidit, nempe

I. Tractatum *de Pace Politica, anno 1657.*
II. *De Ceſſione Actionum & Verſuris. 1662.*
III. *Commentarium in XII. Libros Codicis. 1663.*
IV. Repetitio *Paratitlorum Weſenbecii. 1664.*
V. *Memoriale præcipuarū Legū Codicis per QQ. adornatū. 1665.*
VI. *De Proceſſu tùm Criminali inquiſitorio, tùm Civili. 1666.*
VII. *Exercitationes Juſtinianeas ad Inſtitut. XXXII 1667.*
IIX. *Commentarium in Pandectas. 1670.*

Taceo Diſputationes Juris varias, quas publici juris fecit.

§. 14. Præter hos, ab ipſo auctore editos, alii nonnulli poſthumi Tractatus operâ & curâ Generi, tanto Socero haud imparis, famigeratisſimi ſcilicet JCti Dn. Samuelis Strykii, quondam Francofurti, nunc Wittebergæ Anteceſſoris Primarii, prodierunt, nempe *I. Deciſionum Facultatis Juridicæ Viadrinæ Centuria V. quas publicarum lectionum nomine propoſuit,*

§. 15. II. *Conſilia & Reſponſa Academica, edita 1677.*

III. *Jus Eccleſiaſticum 1680.* cui in fine acceſſerunt, *Prælectiones ad Regulas Juris Canonici:*

IV. Tractatus *de Proceſſu concurſûs creditorum 1683.*

§. 16. Impoſterum quoq; deſideratam *Sacrarum Meditationum* editionem promiſit laudatus Dn. Strykius in mnemoſyno, quod, ut ſingularem ſuam erga Socerum meritisſimum teſtaretur pietatem, fatali illi Pandectarum titulo, *de mortuo inferendo & ſepulcro ædificando,* cui beatus

auctor anno 1672. die XIV. Decembr. ultimam admovit manum, præmiſit.

§. 17. In allegatarum Exercitationum Juſtinianearum *XX. ad pr. Inſt. de Emt. & Vend. n. 9. ſeqq.* ſuam de Auro Chymico ſententiam exponit his verbis: Sed quid ſi Alchymiſticum aurum pro vero vendatur? Quod ſi aurum illud à Chymicis elaboratum verum aurum eſt, ut defendit Sennert. in libr. *de Chymic. & Galenic. conſenſu. c. 2.* confer *Scheplitz ad Conſuetud. Marchic. p. 4. t. 4. §. 1. n. 24.* & , ut artifices ajunt, nonnullis qualitatibus tantum diſtat, emtionem valere conſequens eſt. *l. 10. ff. de contr. emt.* ut tamen venditor teneatur in id, quanti intereſt, emtorem deceptum non eſſe. *l. 45. ff. h. t.*

Cap. XXXI.

De aliorum quorundam JCtor. opinionibus aurum Chymicum concernentibus.

§. 1.

HEnricus Rudolphus Redeker, JC. Roſtochienſis Diſputationem de *Nummo ejusque corruptione ac reductione*, à Reſpondente, Dn. Friderico Adolpho Hanſen, nunc Regiminis Glückſtadienſis Conſiliario graviſſimo, Dn. Affine meo honoratisſimo elaboratam, anno 1673. habuit, ubi in §. 12. hæc de Alchymia habet: Aurum *Alchimicum* ſive *Alchimiſticum* Dd. in diverſum rapit, *Afflict. tit. de regal. n. 21.* & plurimi ad monetandum eſſe habile arbitrantur.

§. 2. Contrarium verius credit *Decianus l. 7. c. 23. n. 12. Adamus Keller lib. 2. de offic. Juridico-Polit. c. 19. Becer. c. 4. n. 11.* ad alium vero uſum licitè poſſe adhiberi, ſibi perſuadent: Ubi ſimul monent, quod non ſingulis, qui plerum-

que

que exercitio & uſu hujus artis omnes ſuas abſumant facultates, ſed tantùm Principibus & locupletioribus confectio illius auri ſit permittenda.

§. 3. *Jacob. Auguſt. Thuan. Hiſt. lib. 48. pr.* de Granatæ Rege Bulhari ſcribit, illum artem metalla cætera in aurum traſmutandi percalluiſſe.

§. 4. Mirabile idem recenſet exemplum *Hiſtor. 104. in fine.* de puero ſeptenni, cui nomen Chriſtophorus Müller, fabri lignarii filio in Quadis, quod illi anno 1593. loco dentis, qui ei anno critico exciderat, maxillaris aureus optimi auri Pannonici ſit renatus.

§. 5. Cæterùm non deſunt, qui planè artem Alchimiſticam improbant, illamque fallacem & fatuam dicunt. *Teſſaur. p. 1. n. 42. Viv. comm. opin. 519. in fin.* ipſe Pontifex *in capit. un. de Crim. Falſi in Extravagant. Commun.* non ſolùm ex auro alchimico nummos cudere vetat, ſed & eos, qui iſtiusmodi aurum vel argentum fecerint, fieri mandaverint, operam præſtiterint, vel expenderint, infamiæ notâ aliisque pœnis afficit.

§. 6. Nos brevitatis ſtudiò illam litem Chimicis commendamus, ut oleum operamve pro lubitu perdant, & ex auro fumum conficiant. *Hactenus ille.*

§. 7. D. Petrus Müllerus, JCtus Jenenſis, in diſputatione de *Perſonæ excellentia* Jenæ 1682, Reſpondente *Salomone Auguſt. Claudero* habitâ, *cap. 8. theſ. 9.* ad quæſtionem, An Princeps in cudenda moneta adhibere poſſit aurum & argentum Chymicum? *Hermes faſcic. Jur. publ. c. 12. n. 25.* rectè negativè reſpondet, cum in commercium tanquam aurum deduci nequeat &c. tradente *Martin. Delrio diſquiſit. magicar. lib. 1. c. 5. qu. 1.*

P 2 §. 8 Jo-

§. 8. Johannes Guilielmus Pfennigk, Jur. Doctorand. in Tractatu de *Rei numariæ mutatione & augmento*, von ſteigender und fallender Müntze *l. 2. c. 8. n. 20. ſeqq. pag. 179.* paulo prolixius de hâc materia agit. Spectat hûc, *inquiens*, omninò aurum Alchymiſticum, ſtudio metallurgico & ſingulari artificio ab iis, qui Chymici audiunt, confectum, quod an pro vero ſit reputandum, probamque ſuam in lapide Heraclio ſuſtineat, diſquiritur anxiè.

§. 9. Tuentur affirmativam non pauci, eandemque rationibus his ferè colorare nituntur: quod aurum verum arte Chymica poſſit effici, idemque tot experimentis artifices peritiſſimi dederint comprobatum. Videatur uberius diſſerens Hermannus Conringius de *Hermetica Ægyptiorum vetere, & Paracelſicorum nova medicina c. 3. §. 26. & 27.*

§. 10. Mihi tamen adverſantium ſententia potior arridet, eandemq; ut promtius ſequar, ſuadet auctoritas Petri Mülleri *Tract. de conventibus Circulorũ, cap. 8. num 48. ſeqq. & Diſſertatione de Perſona excellentia c. 2. th. 9.* Principio enim Jure Pontificio *Extrav. Comm. c. un. de Crim. Falſ.* prohibita videtur omnis ex auro Chimico conflatio.

§. 11. Deinde utut interdum probæ notæ reperiatur, tamen rariſſimè hoc evenit, ſed colore vel ſpecie ſaltem id mentitur, & adeò clanculum quidem, ut fraus dignoſci, non niſi à peritiſſimis Artis Docimaſticæ magiſtris poſſit: Nefas proinde foret, in comercium tanquam aurum deduci, quod verè tale non eſt.

§. 12. Porrò ſemper habenda eſt in Rep. ratio iſtius, quod ſæpius fit, non autem perinde ejus, quod raro: Aurum Chymicum plerumq; eſſe falſum, dolumq; latentem ſecũ ducere, nemo facilè diffitebitur: ſatius itaq; & conſultius eſt, non tantùm confectionẽ ex hac fallaci materia, verùm etiam ipſum ſtudium Alchymiſticum è Rep. tollere, aut certè non cuivis permittere.

§. 13. Quo

§. 13. Quo collimat Martinus Delrio l. 1. *Diſqu. Magic. c. 5. qu. 4. §. 4.* Ex his omnibus patet, *verba ipſius recenſeo*, optimam eſſe, quam ajunt, Angliæ legem, Ne ulli ſine permiſſu Principis ſub pœna capitis, liceat Alchymiam exercere. Quam legem expediret etiam alibi ferri, nam tùm cum delectu princeps talia poteſt permittere, conſideratis circumſtantiis prædictis. Tunc etiam ceſſarent pericula, quæ diximus.

§. 14. Non abſque jactura ſanè irreparabili ſuis ſumtibus Artem hanc exerceri perſuaſa fuiſſe aliquot ſuprema Germaniæ capita, in vulgus notum eſt.

§. 15. Experimenta ipſius rei, ſi quiſquam alius in orbe, nunc frequentare procul dubio ardet Galliæ Rex, hoſtis Imperii infenſiſſimus. Produnt id monetæ & aureæ & argenteæ nuper in regno ipſiusmet percuſſæ, quarum farraginem dijudicârunt & ad Lydium lapidem revocârunt peritiores, præſtigiasque noſtris fugiendas pronunciârunt.

§. 16. Variorum hactenus JCtorum adduxi ſententias, & quidem retentis ipſorum plerumque verbis, ne fortè aliquis, me alterutrius partis ſtudio aliquid omittendo, addendo, aut immutando auctoribus alienam affingere voluiſſe mentem, ſuſpicari queat. Quilibet ergo æquus & à præjudiciis immunis lector ipſe, collatis Doctorum rationibus, facilè intelliget, quorum ſententia, tanquam probabilior, rejectâ alterâ, amplectenda ſit.

Cap. XXXII.

De Chymia per Aſtrologiam adumbrata.

§. 1.

Chymici, ut pretioſiſſimum Sapientiæ ſuæ theſaurum abſconderent, indignisque aditum ad regis palatium præclude-

cluderent, Ægyptiorum Sacerdotum, hoc eſt, Philoſophorum more hieroglyphicis ſignis ſua involverunt arcana, ut non niſi digni, & quidem ab ipſis Sapientibus edocti, illa intelligere, & Heſperidum hortos ingreſſi aurea decerpere impunè poſſent poma.

§. 2. Hinc artifices non tantùm per ſimilitudines ex Botanicis, Politicis, & Oeconùicis petitas, ſed etiam per parabolas Theologicas obnubilârunt artem, unde Gentilium Poëtæ de Indigetum, deaſtrorum, ac Heroum ſuorum connubiis, bellis, æmulationibus, &c. fabulas fingere anſam arripuerunt.

§. 3. Quibus figmentis ſimpliciores, cum ejusmodi metamorphoſes & mirabiles actiones non intelligerent, neſcio quæ divina & ſupernaturalia conceperunt miracula, & à callidioribus circumventi in ſuperſtitioſiſſimum idololatriæ abyſſum proh! præcipitati ſunt.

§. 4. Nihil autem frequentius eſſe, quam operationes Chymicas ſub ſignis Aſtrologicis abſcondi, multi jam dudum animadverterunt, nec tamen omnia explicârunt; Operæ pretium itaque duxi, aliqua à me hactenus adnotata adducere, ut benevolus Lector inde videre poſſit, quam facilè rerum Chymicarum imperiti à ſuperſtitioſis Aſtrologorum vorticibus in immenſas errorum abripi queant voragines.

§. 5. Johannes Baptiſta du Hamel Operum Philoſophicorum *tomo I. pag. 240.* mentionem facit libri cujusdam, à Gallo quodam ſcripti, cujus titulus: *Abregé de l'Aſtronomie inferieure &c.* Hoc eſt: *Epitome Aſtronomiæ inferioris, explicans ſyſtema Planetarum, duodecim ſigna Zodiaci, aliasque conſtellationes Cœli Hermetici, cum ſpecimine Aſtronomiæ naturalis adverſus Ptolemaum, Copernicum, & Tychonem:*

quo

quo demonſtrantur illorum errores circa diſtantiam, magnitudinem & motum aſtrorum, cælumque Solis conſtitui ſupra fixas & errantes, per J. D. B. Pariſiis apud Senleque & Remy 1644.

§. 6. Hunc anonymum refutaturus du Hamel ex prima parte ſequentia excerpſit: *Sed jam*, inquiens, *tempus eſt, ut aggrediar tùm Hermeticam ſeu inferiorem, tùm Naturalem ſeu ſuperiorem, ut ipſe loquitur, Aſtronomiam.*

§. 7. *Ab illa igitur, ut nobiliori, ſuo quidem iudicio, opus orditur ſuum, & demonſtrare nititur, nomina, figuras, ordinem & proprietates inditas tùm planetis, tùm ſignifero, tùm reliquis cæli conſtellationibus, originem ſumſiſſe ab Alchymia: neque aliud eſſe duodecim ſigna & domos Zodiaci, quam præcipuas magni operis, ſeu Philoſophici Lapidis conficiendi, rationes.*

§. 8. *Caput autem & caudam Draconis, Cepheum, Caſſiopeiam, Andromedam, Perſeum, caput Meduſæ, Plejades, Urſam & Orionem præcipuè, aliasquè configurationes ortum habuiſſe ex divinis Chymiæ myſteriis, Aſtronomosque & Poëtas ſuas fabulas omnes hauſiſſe ex veritatibus Hermeticis, ænigmatibus his involutas.*

§. 9. *Nec aliunde fluxiſſe illam celebrem Ariſtarchi de motu terræ ſententiam, quam ex dictis Pythagoræ malè intellectis. Cum enim hic, illius magiſter, conficiendi auri artem probè callens,* (quod probat Anonymus ex aurea coxendice, de qua ipſe gloriatur Pythagoras, ut ajunt fabulatores) *doctrinæ ſuæ Hermeticæ myſteria vellet involvere Geometriæ figuris, aliisq; mathematicorum præceptis, ſuosq; auditores ſcientiam illam docere ſub ænigmatibus ſex corporum Geometricorum, variisq; Aſtronomiæ involucris: contendit Anonymus, Platonem & Ariſtarchum fictis his verbis circumventos ipſius placita ad literam, non ad ſenſum interpretatos fuiſſe.*

§. 10. *Pla-*

§. 10. *Platonemq; figuris iſtis inhæſiſſe, Ariſtarchum verò ex hoc effato*, Terram eſſe velut unum ex aſtris, *ipſi motum & locum in cœlo, non in mundi centro, tribuiſſe.*

§. 11. *Et ſic omnia à Pythagora, aliisque veris Hermeticisque Philoſophis, verè, ſed emblematicè, ad Artem Chymicam & Chryſopœiam dicta ab illis ignaris Geometris & Phyſiologis à vero ſenſu detorta fuiſſe.*

§. 12. *Hincque natas fabulas omnes tùm Poëtarum, tùm Aſtronomorum, quod non illepidè, ſed eleganter & ingenioſè ſanè probat hic author, eo tamen, modo & iis argumentis, quibus ſui ſimiles venditare conſueverunt ſuas ineptias, nugas & fatuitates.*

§. 13. *Sic enim voco libros illorum, qui neſcii tam profundæ ſcientiæ, quàm non impugno ex propoſito, de illa tamen adeò audacter & confidenter loqui prætendunt, ac ſi Hermetes ipſi aut Gebri concionarentur. Atque hæc eſt prima pars libri propoſiti, cujus intentum refellere aut approbare, non eſt hujus loci nec inſtituti noſtri.* Hactenus du Hamel.

§. 14. Quamvis Anonymus hic aliqua, primâ fronte veritati Aſtronomicæ quodammodo repugnantia, proferat, minimè tamen contemnenda ſunt, quæ ratione ſignorum Aſtrologicorum ex Chymia deſumtorum ſtatuit, ut ex iis, quæ paulo poſt proferemus, patebit.

§. 15. Hoc ſolummodo hîc monuiſſe ſufficiat, nullam, aut vix longe petitam ab Aſtrologis dari poſſe rationem, quare Saturnus per ſemicirculum cruci ſubjectum ♄, Jupiter verò per ſemicirculum cruci alligatum ♃ ſignetur. Chymici contra facilè rationes harum figurarum dare ſolent, dum per crucem plumbo verticaliter impoſitam majorem imperfectionem, cruce autem ſemicirculo ſtanni lateraliter adjunctâ, mediocrem debilitatem ſignificari dicunt.

§. 16. Æque

§. 16. Æquè obſcuræ ſunt notæ Martis & Veneris, quarum illa per circulum, ex quo ſagitta obliquè erumpit ♂, ſive circulum, cui crux obliquè imponitur ♂, hæc verò per circulum cruci impoſitum ♀ indigitatur. Chymici contra inde demonſtrant convenientiam horum metallorum; unde mechanici peritiores plerumque matricibus orichalceis vel cupreis chalybeas jungunt cochleas.

§. 17. Signa Solis, nempe circulus integer cum centro ☉, & Lunæ, nimir. duo ſegmenta circuli ☽, quorum exterius ſemicirculum denotat, interius verò ſemicirculo minus eſt, aliquam cum Planetis cœleſtibus habent convenientiam; longè melius autem qualitates Auri & Argenti exprimunt, quia Aurum, utpote perfectiſſimum metallum, circulo, figurâ nimirum perfectiſſimâ, Argentum verò, paulò imperfectius, duobus ſegmentis circulo minoribus ſignatur.

§. 18. Plura de ſignis ejusmodi Chymicis eruditè proponuntur à Wilhelmo Chriſtophoro Kriegsmann in ſuo TAAUT, ſive in ſeiner Außlegung der Chymiſchen Zeichen / damit die Metallen und andere Sachen von Alters her bemercket worden / qui conſuli poterit.

CAP. XXXIII.
De Trithemii opinione.

§. I.

JOhannes Trithemius, Abbas Spanheimenſis, aliàs ob Steganographiam & Claviculam Salomonis Germani celebris, Chymicus ſuperiori ſeculo nobilis, tractatum reliquit, ubi inter alia Aſtrologiam Chymiæ cultoribus

commendat, & adjuncto ſchemate, Planetarum ſitum exhibente, metallorum harmoniam ac transmutationem adumbrat.



§. 2. Poſtquam ergo naturas metallorum quodammodo expoſuit, ita pergit: *Qui cupit aliquid ex profundisſima Chymiæ Scientia ad finem perducere, opus eſt, ut* corpora cœleſtia *benè conſideret, earumque qualitates & naturas & poſitiones diligenter agnoſcat: Quod ſi fecerit, inveniet divinâ gratiâ inexplebilem in iis intellectum.*

§. 3. *Ideoque conſtitui ſapientiæ filio, non mihi, de iis rebus in apertum ponere, quibus conſideratis multa alia, etiam majora forſan, per ſeipſum inveſtigabit.*

§. 4. *Perſpice figuram præcedentem cum ingenio, & videbis, me philoſophicè de his rebus ſcriptitaſſe. Sol reſidet in medio, tanquam Imperator Planetarum, totum Mundum & cæteros Planetas potentiſſimè gubernans.*

§. 5. *Supra*

§. 5. *Supra tres Planetæ conſtituti, & infra tres. Mars eſt ſuperiùs Soli propinquior, Venus infrà propior. Si igitur Lunam in Solis naturam provehere deſideras, neceſſarium eſt, ut ex Marte & Venere ſubtiliſſimos & tingentes ſpiritûs extrahas.*

§. 6. *Non tamen hi, quia volatiles ſunt, Lunam tingere poſſunt, niſi priùs fermento Solis, quod eſt omnium perfectisſimum, retineas & congeles.*

§. 7. *Aliud: Si Sol Lunæ fieri debeat, oportet duos Planetas intermedios, Lunam & Solem, prius ſecerni & ſegregari* (*Veneris per ingredinem Lunam intellige, humiditatem verò evaporabilem per Mercurium.*) Hæc *duo obſtacula nonnulli ſcioli* norem & gluten rambium movent *ineptis ſtolidisque vocabulis nuncupaverunt.*

§. 8. *Jupiter ſtat ſuper Solem inter planetas duos, ſimiliter Mercurius infrà inter duos, & his duobus Venus & Luna exprimitur.*

§. 9. *Nota: Totam Alchimiam tantùm in his metallicis corporibus comprehenſam; ſed nonnullis rebus, utpote ſalibus, Aquis fortibus, & Vegetabili egemus, quibus corpora appropriatè mundantur, & eorum ſpirituales & ſubtiles naturæ extrahuntur.*

§. 10. *Et qui hæc omnia cum diligentia perſpexerit, is ad Philoſophiæ naturalis majora myſteria procul dubio eſt perventurus.*

Cap. XXXIV.

De Tychonis Aſtronomia Terreſtri.

§. 1.

NOn immeritò hîc aliqua dicenda erunt de Illuſtri illo Danorum Aſtronomiæ reſtauratore, Tychone Braheo, qui Chymicos labores Aſtronomicis junxit ſpeculationibus, & in Mechanica ſuâ, non procul à fine, & quidem ad calcem illius capitis, ubi *De iis, quæ ante annum 1598 in Aſtro-*

Aſtronomicis, *Dei dono*, exantlaverat, quæ poſtea exſequenda reſtabant, agit, ſequentia ſcribit:

§. 2. *Quin & in Spagyricis operationibus, ſeu Pyronomicis exercitiis, non minimam impendi curam, ut & hoc obiter hic indicem, cum ea, quas tractat, materia cæleſtibus corporibus & influentiis analogæ ſint: Ideoque* Terreſtrem Aſtronomiam *appellare ſoleo.*

§. 3. *In hâc cognoſcendâ tractandâque inde à viceſimo tertio ætatis anno non minus, quàm cæleſtibus occupatus, plurima, tàm in metallis, quàm mineralibus, tùm quoque gemmis & vegetabilibus atque creſcentibus, aliisque materiis huc pertinentibus hactenus multo labore, nec mediocribus ſumtibus, expertus ſum.*

§. 4. *De quibus cum illuſtribus & principibus viris, aliisque præſtantibus & eruditis, qui talibus afficiuntur, atque eorum cognitionem aliquam habent, ingenuè conferre, atque nonnulla iis communicare per occaſionem non tergiverſabor, modo mihi de eorum voluntate conſtiterit, quod ea ſecreta habituri ſint.*

§. 5. *Talia enim vulgaria fieri, nec expedit, nec æquum eſt. Neque enim cuivis datum, licet multi ejuscemodi profiteantur, hæc myſteria debito modo, ſecundùm Naturæ exigentiam, innoxiè atque utiliter exſequi.*

§. 6. Ex his apparet, Tychonem in Chymicis haud vulgariter & leviter doctum fuiſſe, & ſine dubio ſignorum Aſtrologicorum Chymicas explicationes intellexiſſe, unde Chymiæ novum, nempe ASTRONOMIÆ TERRESTRIS, nomen addere voluit.

§. 7. Simili fermè modo Johannes Baptiſta Porta per ſigna Aſtrologica, non Sidera, vel Planetas, aut cœli Domicilia, ſed Temperamenta, figuram ſive formam externam humani corporis, rugas, lineas, protuberantias, maculas, nævos in quacunque corporis parte apparentes, ſigni-

ſignificari contendit, & propterea PHYSIOGNOMIAM COELESTEM conſcripſit. Quæ tamen ſententia minimè probabilis mihi videtur.

CAP. XXXV.

De Chymica characterum Aſtrologicorum explicatione.

§. 1.

Astrologorum Signa à Chymicis primùm inventa, & ad arcana ipſorum occultanda præcipuè fuiſſe adhibita, ex præcedenti quodammodo patet capite.

§. 2. Chymicis characteres ambiguos, & quidem Aſtrologis communes, metallis & mineralibus imponendi occaſionem dediſſe videtur ſtellaris Reguli Antimonii Martialis figura, qualem ab amico quodam communicatam hîc apponere volui.



§. 3. Propterea etiam Baſilius Valentinus, celebris Chymicus, qui circa finem ſeculi XIV. floruiſſe putatur, in Triumpho Antimonii non modo Antimonium, ſed omnia metalla quoque vocat Aſtra; des Goldes Aſtrum, inquiens, fechte ich dießmal nicht an. Denn ich weiß ohne

das ſehr wol/ daß ich für ihm Entſetzung/ Furcht/ und Zittern haben muß. Wie wol ich Antimonium vielen Haupt-Sachen der Artzeney weit vorgehe / jedoch kan ich zwar univerſaliter nicht verrichten das jenige / was das Aſtrum Solis vermag; das Aſtrum Mercurii laſſe ich zurücke/ weil ich ſo wol / als ſie / aus einem gezeuget/ aber / wegen der Himliſchen durchdringenden Würckung / dem Aſtro Solis alle Herrſchafft überlaſſen muß.

§. 4. Paulò poſt pergit: Weil das Gold in ſeinem Aſtro eines perfectern Sulphuris und perfectern Mercurii theilhafft worden / weder die andern metallen und mineralien/ ſo iſt auch ſeine wirckende Krafft viel mächtiger/ weder die andern Aſtra der metallen ꝛc. Item: die wenigſte bekümmern ſich darüm/ in welchem centro das Aſtrum Antimonii beruhe. &c.

§. 5. Signa Aſtronomorum primaria ſunt, characteres tàm Planetarum, quàm Signorum Zodiaci, quibus accedunt duodecim Aſtrologorum domicilia.

§. 6. Domicilia ſive domûs ab Aſtrologis dupliciter ſumuntur, nempe I.) pro duodecim illis cœli ſpatiis, per Poſitionis circulum determinatis; deinde pro Dodecatemoriis ſive duodecim Zodiaci Signis, quæ ita diſtribuuntur inter Planetas, ut quilibet duas ſortiatur domûs, exceptis Sole & Luna, quibus ſingulæ ſolummodo cedunt.

§. 7. Non tantùm autem ſub ratione Domiciliorum diſtribuuntur Signa, ſed aliæ quoque illis qualitates, quas in Dignitates & Debilitates eſſentiales dividunt, adſcribuntur.

§. 8. Eſſentialium Dignitatum ſunt IV. nempe Domus, Exaltatio, Triplicitas, & Decanatus.

§. 9. De-

§. 9. Debilitatum eſſentialium duæ ſolummodo habentur, Detrimentum videlicet & Caſus, quemadmodum ex ſequenti patet

TABULA

Dignitates									Debilitates.	
Signa	Domus eſt		Exaltatio	Triplicitas		Decanatus			Detrim.	Caſus
				D.	N.	10,	20,	30,		
♈	♂.	D.	☉	☉	♃	♂.	☉.	♀.	♀	♄
♉	♀.	N.	☽	♀	☽	☿	☽	♄	♂	
♊	☿.	D.	☊	♄	☿	♃	♂	☉	♃	
♋	☽		♃	♂		♀	☿	☽	♄	♂
♌	☉.			☉	♃	♄	♃	♂	♄	
♍	☿.	N.	☿	♀	☽	☉	♀	☿	♃	♀
♎	♀.	D.	♄	♄	♀	☽	♄	♃	♂	☉
♏	♂.	N.		♂		♂	☉	♀	♀	☾
♐	♃.	D.		☉	♃	☿	☽	♄	♀	☊
♑	♄.	D.	♂	♀	☽	♃	♂	☉	☽	♃
♒	♄.	N.		♄	☿	♀	☿	☽	☉	
♓	♃.	D.	♀	♂		♄	♃	♂	☿	☿

§. 10. Licet autem non omnia hujus tabulæ membra nunc chymicè explicare queamus, aliqua tamen ſuppeditabo, ex quibus videri poſſit, non ſine ratione me antea dixiſſe, ſub Signis Aſtrologicis chymicam latere Sapientiam.

§. 11. Per Martem intelligi Ferrum ſive chalybem, vulgo notum eſt. Per Arietem autem Antimonium denotari, me legere memini: Ex tabula præcedenti patet, Martis

tis domum propriam eſſe Arietem, i. e. Antimonium eſſe proprium Ferri minerale, & propterea nullum aliud metallum Antimonio junctum tàm elegantem producere poſſe Stellam, quàm Ferrum.

§. 12. Porrò Solem in Ariete exaltari, tabula innuit. Aurum, quod per Solem ſignificatur, mediante Antimonio purgari, & ſplendidiſſimum adipiſci colorem, experientia docuit aurifabros.

§. 13. Veneris detrimentum eſſe Arietem, ex tabula videmus. Per Antimonium ♁, Venerem ♀ h. e. æs cyprium deſtrui, ex utriusque ſignatura haud obſcurè colligitur.

§. 14. Saturno adſignatur domus in Capricorno & Aquario. Plumbo itaque convenire videtur ⦶ Nitrum ſive Sal petræ, quod Capricorno, nec non Aquario comparari ſolet à nonnullis Chymicis, qui Nitrum vocant hydram, eine Waſſerſchlange oder Steinſchlang / welche durch die Felſen kreucht. *Baſil. Valentin. in Repet. Lapid. Philoſ. p. 105.* Experientia autem teſtatur, plumbum nitro junctum, in crucibulo igni impoſitum, tantæ eſſe efficaciæ, ut crucibulum perforet.

§. 15. Sagittarius vocatur domus Jovis; per Sagittarium intelligi Sulphur commune 🜍, per Jovem ♃ verò Stannum aliqui putant, quòd ſtannum magis, quam reliqua metalla à Sulphure afficiatur.

§. 16. A Sole & Luna reliqua metalla certis & diverſis gradibus perfectionis differre, ante laudatus Kriegsmannus in ſuo TAAU Γ. *pag. 58. cap. 29.* ex antiquis characteribus probat.

Argentum ☽ vel ☽	☉ Aurum
Plumbum ♄	♁ Antimonium vel Saturnus (duplicatus.
Stannum ♃	♂ Ferrum
Argentū vivū ☿ vel ☿	♀ Cuprum

§. 17. Me-

§. 18. Metalla ſuperius cruce notata, nempe ♄ & ♁, ſummâ laborant imperfectione, & difficillimè curantur: à latere ſignata, ♃ videlicet ac ♂ mediocriter afficiuntur: inferiùs cruciata, nimirum ☿ & ♀ facilius, quàm reliqua, ſanari poſſe dicunt.

§. 19. Idem Kriegsmannus autem loco citato duplex Mercurii ſignum, duplicem quoque Mercurium notare putat, nempe veteres per ☿ ſignificaſſe, Argentum vivum per ☿ verò principium mercurii, vel potius metallorum.

§. 20. Porrò reliquorum mineralium ſigna, à Veteribus adhibita, pleraque deperdita aut corrupta, pauciſſima verò genuina ſupereſſe autumat. Nempe 1. Æruginis, 2. Victrioli, 3. Cinnabaris, 4. Arſenici, 5. Sulphuris, 6. Aluminis, 7 Nitri, 8. Salis communis, 9. Salis Armoniaci, 10. Salis Alcali, & 11. Tartari.

§. 21. Auctor Arcani Hermeticæ Philoſophiæ operis, quem aliqui Spagnetum (*Eſpagnet*) Burdigalenſis Parlamenti Senatorem fuiſſe exiſtimant, *num.* 137. ita ſcribit: *Tempora Lapidis quærentem Philoſophorum ſignifer docebit; Primum enim Opus ad Album in domo Lunæ; ſecundum in ſecunda Mercurii domo terminari debet,*

§. 22. *Primum autem Opus ad rubeum in ſecundo Veneris domicilio; poſtremum verò in altero regali Jovis ſolio definet, à quo Rex noſter potentisſimus coronam pretioſisſimis Rubinis contextam ſuſcipit.*

§. 23. Aliquibus editionibus in fine adjungitur Signifer hic Philoſophorum cum Planetarum Domiciliis.

§. 24. *In Figura deſcripta cuilibet Planetæ duplex domicilium à Veteribus deſignatum eſt, Sole & Lunâ exceptis, quorum quilibet unicum ſortitur domicilium, invicem vicinum: Omnesque Planetæ propria occupant domicilia.*

§. 25. Philoſophi in opere ſuo Philoſophico *tractando Annum ſuum ab hyeme incipiunt, à Capricorno ſcilicet, quæ domus eſt prior Saturni, & dextram verſus commeando.*



§. 26. *Secundo loco altera domus occurrit in ſigno Aquarii, quo tempore Saturnus, id eſt, nigredo operis dominari incipit, poſt 45 vel 50 diem.*

§. 27. *Adventante Sole in Piſcibus, Opus fit nigrum nigrius nigro, & caput corvi incipit apparere.*

§. 28. *Tertio menſe exacto, & Sole Arietem ingrediente, incipit ſublimatio, ſive Elementorum ſeparatio.*

§. 29. *Sequenti usque ad Cancrum opus dealbant.*

§. 30. *Cancer nitorem & ſplendorem addit ſupremum, & omnes dies Lapidis ſeu ſulphuris Albi, ſeu Opus Lunare ſulphuris adimplet perfectè, Lunâ in domo ſua glorioſè ſedente & regnante.*

§. 31. *In*

§. 31. *In Leone, Baſilica Solis, incipit Opus Solare, quod in Libra terminatur in Lapidem rubeum, ſeu ſulphur perfectum.*

§. 32. *Quæ duo reſtant ſigna, Scorpius & Sagittarius Elixiris complemento debentur.*

§. 33. *Et ita Saturno regnante initium, Jove verò regnante finem & perfectionem adſumit mirabilis ille Philoſophorum fœtus.*

§. 34. Alius quidam Philoſophus Recentiorum & præcipue Theophraſti viæ abbreviatæ labores præliminares ita deſignavit.



§. 35. Ignem, Aërem, Aquam, Terram his Signis △ 🜁 ▽ 🜃 notare ſolent: unde in Figura præcedente duo triangula, decuſſatim conjuncta, haud incommodè quatuor Chymicorum Elementa repræſentare videntur.

§. 36. Ex his abunde apparet, meam ſententiam minimè abſonam eſſe, dum dixi, ſigna ab Aſtrologis hactenus uſurpata, primitùs à Chymicis fuiſſe inventa, ac propterea ſub Aſtrologorum characteribus chymicam latere ſapientiam.

CAP. XXXVI.

De mirabili Hiſtoria Walkenriethenſi.

§. 1.

QUamvis ſequentia à ſcopo mihi propoſito aberrare quibusdam videri poſſint, illa tamen ab amicis aliquibus communicata ſilentio, utpote rara, præterire nolui.

§. 2. Quod autem ad hiſtoriam Walkenriethenſem attinet, illam Beatus noſter Morhofius aliquando narravit, cujus contenta erant: In Cœnobio Walkenriethenſi, ubi olim monachi Benedictini vixerunt, poſtea Adoleſcentes & pueri ſcholam frequentantes Ducali munificentia ſuſtentati ſunt, accidit aliquando, ut Adoleſcentes in periſtylio metam ponerent, quam ſaliendo ſuperare certabant.

§. 3. Dum ita certant, unus illorum in loco quodam pedibus hærere ita, ut neque ipſe recedere, nec à commilitonibus ſubtrahi poſſet.

§. 4. Aliquis illorum advocat Præceptorem, qui itidem adoleſcentem ex loco ſuſpecto removere, ſed fruſtra conatur.

§. 5. In mentem igitur venit, locum, ubi conſiſtebat puer, conjuratione ita diſpoſitum fortè eſſe, ut recedere non poſſet, niſi aliquod occultum manifeſtaſſet.

§. 6. Jubet igitur undique circumſpicere, cumq; adoleſcens obtemperans animadverteret in pariete literas ac characteres, illosque Præceptori deſignaſſet, intellexit, ibi latere aliquem theſaurum, & è veſtigio puer antea quaſi affixus liberè ex loco conjurato recedere potuit.

§. 7. Paulo

§. 7. Paulo poſt ille Præceptor clàm locum in pariete deſignatum aperuit, & poſtquam pyxidulam extraxit, ſupellectile ſua relictâ ſe ſubduxit, unde aliqui, in pyxide Lapidem Philoſophicum fuiſſe, ſuſpicati ſunt.

§. 8. In veritatem hujus narrationis inquirenti oblatæ ſunt literæ à Dn. Johanne Sternio, Lüneburgenſi Bibliopola celeberrimo circa Klendas Apriles ſuperioris Anni ſcriptæ, quibus paulo aliter illa hiſtoria deſcribitur, cujus verba recenſere haud erit inutile.

§. 9. Ita autem ſcripſit: Anno 1656, da ich mich zu Wolffenbüttel auffhielte / begehrte mein ſeel. Vetter Heinrich Stern / ich ſolte nach Walckenriede zu dem damaligen Rector, M. Möring / reiten / und mich erkundigen / wie ſein Sohn / der in dem Stifft bey dieſem Manne war / ſich befünde und fortkäme: Welches ich denn thät / und wegen Einſamkeit und Stille des Orts ein par Tage bey ihm blieb / ſo daß der ſeel. Mann bey müſſigen Stunden mich in den ruinirten Gebäuden herum führete.

§. 10. Wie wir nun durch einen langen Mönchsgang ſpatzierten / ſagte er / er müſte mir eine wunderliche Sache erzehlen: nemblich es hätten vor einer Zeit in dem langen Gange die Knaben ihre Ergötzlichkeit gehabt / und ihnen ein Zeichen geleget / wer darüber ſpringen könte: In dem ſie ſich nun üben / begiebt ſichs / daß ein Knabe in ſeinem Sprunge mit beyden Füſſen auff einen Ort zu ſtehen kömmet / woſelbſt er unbeweglich muß ſtehen bleiben.

§. 11. Die Knaben erſchrecken / reiſſen und zerren ihn / aber vergebens / ſie können ihn nicht von der Stelle loß kriegen / werden alſo gezwungen zu dem Rector zu gehen / und es ihm zu ſagen.

§. 12. Der Rector findet den Knaben auff der Stelle/ kan aber eben ſo wenig helffen. Es fället jhm nach langem Suchen und Sinnen endlich bey/ es müſſe/ als an einem alten Münchsorte/ vielleicht einige Beſchwerung verhanden ſeyn/ und ſaget dem Knaben/ er ſolle fleiſſig um ſich ſehen/ ob er etwan ein Zeichen oder Schrifft erſehen könte.

§. 13. Welches der Knabe thut/ wird auch endlich an einem Pfeiler was geſchriebenes gewahr in Griechiſchen Buchſtaben/ welche er herſagen oder entwerffen muß. Der Rector nimt ſo viel darauß/ in dem Pfeiler wäre ein Geſchirr mit Gelde/ wer auff den Punct auff der Erden würde treten/ ſolte die Schrifft ſehen/ und das Verborgene offenbaren.

§. 14. So bald der Rector auff den Verſtand kommet/ gehet der Knabe los/ wie vorhin.

§. 15. Der Rector redet davon/ und wird in dem Pfeiler nach der Anweiſung geſucht/ auch ein ſteinern Geſchirr eingemauret gefunden mit Gelde/ ſo wie ein Viertel Rthl. von Gröſſe/ aber ſehr dünne geſchlagen geweſt: der Topf mit dem Gelde iſt dem Hertzog Chriſtian Ludwig/ Chriſtmilder Gedächtniß/ nach Zelle gebracht; wie aber die Knaben geheiſſen/ oder wer ſie geweſen/ iſt mir nicht mehr zu entſinnen. &c.

§. 16. Plura, eaq; ſpecialiora, de hoc Cœnobio, quod propè Hercymiã, non procul Mœliboco ſive Bructero monte, Klettebergam verſus, ſitum eſt, exploranti, in tempore Nobiliſsimi & Experientisſimi Dn. Jacobi Weitii, Med. Doct. & Pract. celeberrimi, Sereniſſ. Saxoniæ Ducum Archiatri & Conſiliarii graviſſimi, nec non civitatis Gothanæ Conſulis Prudentiſſ. &c. rerum Chymicarum peritiſſ. Fautoris & Amici mei honoratisſimi literæ ſunt oblatæ, quibus eandem commemorat Hiſtoriam, verbotenus hic appoſitam.

§. 17. Den

§. 17. Den Zuſtand / inquit, des Knabens zu Walkenrieth betreffent iſt ſolcher alſo. Bey nahe vor 36 oder 40. Jahren war da noch ein ſonderliches Collegium, und iſt über dem Creutzgang ein Saal / darauff / ehe das alte Gebäude abgebrochen worden / an der Decke ein Circul / und an der Wand gewiſſe Schrifft und Characteres ſich befunden. In dem Fenſter aber war ein Kaſten mit Steinen ſehr wol gefügt / daß man jhn mit Steinen hat zuſchieben können.

§. 18. Als nun ein Schüler auff dieſem Saal oben in den Circul kömbt / kan er nicht wieder von der ſtelle kommen. Der Circul und die Schrifft an der Wand iſt ſonſt nicht / als eben in dieſem tempo, worin der Schüler verfallen geweſen / zu ſehen.

§. 19. Als aber der Schüler ſich eben auff dem punct befunden / hat er ſo wol den Circul über ſich ſehen / als die Schrifft an der Wand nach Oſten leſen / und den ſteinern Schranck gegen Süden / ſonderbahr bezeichnet / finden können. Da er dann auch darauff auß dem Circul wieder frey worden.

§. 20. Pergit laudatus Dn. Weitius enarrare, quod ipſi in Cœnobio, & quidem loco illo acciderit: Ich habe ſeid deme mit andern vielmahl den Schranck ſelbſt examiniret: aber in Ao. 1687. mich gelüſten laſſen / mit einigen auff den Saal zu gehen / und die Metall-Ruthe zu gebrauchen: da wir nicht weit vom Schranck / ſtarcke Züge der Ruthen angemercket. Muſten aber wegen groſſen Schreckens / ſo uns alle ankam / von unſerm Vorhaben ablaſſen.

§. 21. Denn es wurde am hellen Tage etwas dunckel umb uns; und ob gleich keiner den andern feig machte / waren wir doch alle erblaßt / und als wir uns wieder in ſicherheit

heit gerettet hatten / konten wir einander faſt gleichförmig erzehlen/ daß jedem geweſen/als wäre ein Wind durch Unß hin gegangen / und wir mit den Haaren biß an die Deck gezogen worden.

§. 22. Baſilium Valentinum, quem aliqui nunquam extitiſſe autumant, in hoc Cœnobio degiſſe, & per tempus aliquod laboribus Chymicis operam dediſſe, ex ejusdem Dn. Weitii literis deſideratisſimis certior factus ſum: Baſilius Valentinus, ſcribit, iſt nicht ein nomen fictum ex Græco *βασιλεύς*, ſondern ein warer Geiſtlicher Ordens-Mann geweſen / bürtig auß dem Unter-Elſas. Wovon auch die Lucerna ⊖ Philoſophorum oder der Filius Sendivogii im dritten *Principio de Sale, ni fallor, Cap. 2.* oder 3. Lateiniſcher *Edition*, hat / und deß Valentini eigenes Tractätlein *de Rebus naturalibus & ſupernaturalibus, ni fallor, cap. 1.* oder *2. de Sp.* ☿ *ii.*

§. 23. Dieſer hat / wie von allerhand Lapidibus particularibus, alſo von der Via humida & ſicca groſſe Dinge geſchrieben.

§. 24. Unter denen Particularibus iſt daß vornehmſte der Lapis △ is auß ſeiner Minera ♄:

§. 25. Die Univerſalia tractiret Er gleich andern. Doch hat er eine Mineram gefunden / ſo er Aſtrum ☉lis nennet; iſt lucida, rubra und in der Schweitz und Siebenbürgen anzutreffen / wie auch in Walckenrieth am Sonnenberg; Von welcher groſſe Dinge zu hoffen und zu gewarten / in und auß ſich ſelbſt / und auch mit Zuſatz ☉es.

§. 26. Zu der Via humida hat er in Walckenrieth gelegenheit bekommen / bey damaligem ſtarcken Cinnober Bergwerck-Baw / und wie ich von alten Curioſis geſichert worden / ſich eine geraume Zeit würcklich alda auff gehalten.

§. 27. Ich

§. 27. Ich habe ſelbſt bey Säuberung eines alten tieffē Ciñober-Schachts eine Berg-Stube in die 30. Lachter unter der Erden gefunden/und alle zur Via humida nötige inſtrumenta. Darunter nebſt vielen Oefen/ Steinen oder Backſteinen/ beſondern ein gläſern Helm zu ſehen war/welcher gantz mit Lentore ponderoſo ☿iali ſolubili in ▽a. Meſſerrücken-dick überzogen war / und als das ſchönſte Silber und Gold außſahe.

§. 28. Zu der Via ſicca aber iſt er mit dem Philaletha nach dem Introitu ad occluſum Regis Palatium gantz conform gangen / und augenſcheinlich zu ſehen / daß Er von der in *cap. 19.* hochgerühmten Minera, wovon auch der Adeptus bey D. Schweitzern *in Vitulo aureo* eine zimliche Spur hinterlaſſen / groſſe Notitz zu Verkürtzung deß Wercks gehabt.

§. 29. Und glaube ich/daß dieſes deß Römiſchen Caji Arbeit geweſen / wie ſolche beym Augurello *in Chryſio I.* allegiret wird; da er ein aurum obryzum perfectiſſimum ab omnibus vinculis (*liberum*) & TRale gemacht. (*ſupra p. 25.*)

§. 30. In dieſem Walckenrieth / im Creutzgang nach der Kirche/ iſt der Meiſter der erſtmahligen Tinctur mit allen figuris in kleinen Thieren / als Tauben / Mällen/ und dergleichen unter 5. Bögen zu ſehen/ſo ſehr rar iſt / und weil es noch in ſeiner natürlichen Farbe ſtehet / da das andere faſt alles ruiniret iſt / ſo iſt es biß dato recht fatal.

§. 31. Prolixam hujus Cœnobii deſcriptionem inveniet B.L. in Topographia Ducatuum Brunſvicenſis & Lünæburgenſis *pag. 199.* ex qua ſequentia hûc transſcribere volui.

Anno 1127. à prima fundatione Ciſtertii 29; Anno 2. Imperatoris Lutharii III. Imperatoris piiſſimi; Pontificatûs ſanctiſſimi Ho-

norii P.P. 2. conſenſu Reverendiſsimi Alberti ArchiEpiſcopi Moguntini, in ipſius diœceſi fundata eſt Abbatia Walkenre, Ciſtercienſis ordinis ad radices Hercyniæ ſylvæ, in prædiis devotæ dominæ Adelheidis, quondam Comitiſſæ de Clettemberg, pertinentibꝰ ad Imperiale caſtrum Sachſenburg, tunc deſtructū: Et Advocato venerabili viro, Domino Henrico I, Abbate ex veteri campo, una cum religioſo conventu, ut Deum ibidem jugiter colant, eſt monaſterium humile aſſignatum.

§. 32. Tempus exſtructionis hujus Cœnobii à Monachis hoc diſticho ſignificatum eſt:

Anno milleno centum ſemptemque vigeno
Walkrieth exſtruitur, Chriſtus ubi colitur.

Cap. XXXVII.

De aliis quibusdam Hiſtoriis Chymicis.

§. 1.

Elegantem hiſtoriam, quæ ante 43. annos accidit, communicavit mihi Illuſtris Dn. Wenzeslaus Wilhelmus ab Haugvvitz, Hereditarius in Guhren, &c. Regius Guravienſis Circuli Adſeſſor, & Quæſtor graviſſimus, gener ſupra *Cap. 1. §. 3. & 4.* laudati Dn. Ludovici à Schönleben/ quam deſcripſit Pharmacopola Wolavienſis, Michaël Morgenbeſſer/ & literis, una cum quadrante unciæ argenti ex plumbo facti, jam dicto Dno. à Schönleben transmiſit.

§. 2. Literarum contenta præcipua hæc ſunt: Wol-Edler &c. Ewr. Geſtrengen begehren nach habe ſo viel mir noch wiſſend (weil es eine lange zeit) von bewuſter Sache auffſetzen / und hierbey überſenden wollen/ wie auch ein halbes Loth von der transmutirten materie. *Wolaw. 14. Oct. 1672.*

§. 3. Deſcriptio ipſa ita ſe habet: Anno 1649. den 24. Febr. als ich zu Chur in Bünden in der Apotheken ſervirte/ kam ein reiſender Mann zu mir / und begehrte etwas auß der Officin; in dem ich ſelbiges zuſammen machte / gab er mir

mir zu verſtehen / daß er auch der Apotheker-Kunſt zugethan/ und wäre ein ſonderlicher Liebhaber der Chymie und Alchymie, und wohnete ietzo zu Genua in Italien; bat mich auch zu ſich ins Wirtshauß zum rothen Löwen zum Abend-Eſſen.

§. 4. Unter währendem Diſcurs bey der Mahlzeit fragte ich ihn wegen des Univerſalis, obes wol in der warheit beſtünde/ daß ein Metall in das andere und beſſer könte transmutiret werden; worauff er mir dann unterſchiedene ſachen von Silber ſehen ließ/ zeigte mir auch ein weiſſes Pülverlein/ welches die tinctur auff Silber wäre/ und auch zugleich eine medicin wider allerhand Kranckheiten/ und ſonderlich wider allerhand Gifft.

§. 5. Er hatte auch die tinctur auff Gold/ welche aber in hitzigen Landen zu hitzig zugebrauchen: bat ihn/ daß er doch eine Probe machen wolte/ welches er mir dann verſprach und ſagte / ich ſolte des andern tages umb 12 Uhr zu Mittag etwas Bley/ einen Schmeltztiegel/ Kolen und Blaßbalgen im vorrath haben / ſo wolt er zu mir kommen/ und in Beyſeyn meiner etwas tingiren.

§. 6. Des folgenden Tages/ als er zu mir kam/ hat er mich heiſſen 2. Loth Bley in den Schmeltz-Tiegel thun/ und den Tiegel wol mit Kohlen umſchütten; als aber das Bley wol im Fluß ſtund / hat er etwa einen Gran von dem weiſſen Pulver in Wachs eingemacht/ und auff das flieſſende Bley geworffen / da es erſtlich oben her geſchwommen/ hernachmahls ſich mit dem Bley vermenget / und das Wachs verbrennet.

§. 7. Als nun etwa das Bley eine Viertelſtunde gefloſſen/ und glüend geſtanden/ hat er es hernach außgegoſſen / welches dann bald hart worden/ und doch glüend geweſen; als es erkaltet / iſt es Silber geweſen / welches in allen

Proben beſtändig blieben / wie ich denn unterſchidene Proben auff der Capell thun laſſen.

§. 8. Er verſprach mir / wenn ich nach Genua zu ihm käme / ſo wolte er nur nicht allein dieſes / ſondern viel andere Sachen offenbahren / bin aber / als ich von Lucern dahin reiſen wolte/unter wegens kranck wordẽ/daß ich meine Gefährten verlaſſen und zurücke bleiben müſſen.

§. 9. Particulam iſtam Argenti ex plumbo facti ſupra laudatus Dn. ab Haugwitz contemplandam transmiſit, quæ ab aurifabro probata per lapidem Lydium, colorem argenti duodecim lothonum reliquit, interim, ob ponderoſitatem & ſingularem ductilitatem, illud rubedinem non ex cupro, ſed ex auro admixto habere, admodum probabile eſt.

§. 10. Hafniæ quoque nuper, præſente Auguſtisſimo Daniæ Rege Argentum ex hydrargyro factum eſſe, à Viro fide digno mihi relatum eſt.

§. 11. Aliâ hiſtoriâ ab Amico quodam Vratislavienſi communicatâ confirmatur, Argentum transmutatum fuiſſe in Aurum, vel potius ex Argento aurum fuiſſe extractum, his verbis: Es befindet ſich ein gewiſſer Laborant allhier in Breßlau/welcher ein Kunſt-Stück von einem Patre ex S. J. mit namen Eckhart, außgefiſchet/welches ich ſelbſten mit meinen Augen geſehen/ daß er auß einem puren durch Aqu. Fort. ſolvirten ☽. von 1 Loth vermittelſt des ſulphuris ♁ und eines gewiſſen Handgriffes biß 1. und ein halben Ducaten gebracht.

§. 12. Solch Gold/ da es dem hieſigen Keyſerlichen Müntz-Wardein zum verkauff geſandt worden / hat er es bald vor guth und Chymiſch Gold erkant/auch gebethen/ wann man mehr haben würde / ſolches nur immer in die Müntze zu bringen.

§. 13 Die-

§. 13. Dieſes hat bemelter Laborant etliche mal mit groſſem nutzen practiciret / da er es aber ſeinem Herrn offenbahret / welches etwan vor 3 Jahr geſchehen / hat er nach der Zeit / ob ers gleich / biß auff dieſe Stunde / öfftrers verſuchet / nichts / oder doch ſehr wenig / und zwar ohne profit, zu wege bringen können.

§. 14. Hæc ſunt B. L. quæ inquirendo in Jura circa Alchymiam hinc inde diſperſa hactenus invenire potui, quæ etiam occaſione hujus ſcripti ab amicis nonnullis ſuppeditata fuerunt. Plura quidem à quibusdam promiſſa expectavi, ſed fruſtra; interim ut hæc æqui bonique facias, mihique faveas, eſt quod rogo.

INDEX CAPITUM.

Præfatio.

CAP. I.

De Nummis aureis. p. 3.

CAP. II.

De Nummis argenteis. p. 13.

CAP. III.

De Ænigmatibus nonnullis Chymicis. p. 19.

CAP. IV.
De Auro ex Auripigmento. p.25.
CAP. V.
De Ægyptiorum Chryſopœia, & de Aureo Vellere. p.25.
CAP. VI.
De Argento Vivo. p.27.
CAP. VII.
De Cinnabari. p.32.
CAP. IIX.
De Argenti in aurum mutatione. p.34.
CAP. IX.
De Auri Chemici bonitate. p.35.
CAP. X.
De iniquis Chemiæ, aliarumque Diſciplinarum rariorum cenſoribus, & in ſpecie de Geographorum Antipodibus. p.36.
CAP. XI.
De iis, qui ob ſententiam de Syſtemate mundi Pythagorico damnati ſunt. p.40.
CAP. XII.
De Jure Canonico abſolutè Chymiam damnante. p.44.
CAP. XIII.
De Juris-Conſultorum, in ſpecie vero Oldradi, Reſponſis & opinionibus ad Chymiam ſpectantibus. p.46.

CAP.

CAP. XIV.
De Panormitano ſive Nicolao Siculo. p. 49.
CAP. XV.
De Joanne Andreæ, ejusque ſententia. p. 50.
CAP. XVI.
De Andreæ Iſernini opinione. p. 53.
CAP. XVII.
De Baldi ſententia. p. 54.
CAP. XIIX.
Fabiani de Monte S. Savini ſententia. p. 55.
CAP. XIX.
Alberici de Roſate ſententia. p. 56.
CAP. XX.
De Alberto Bruno, ejusque ſententia. p. 59.
CAP. XXI.
De Guidone Papa. p. 61.
CAP. XXII.
De Joanne de Platea. p. 62.
CAP. XXIII.
De Angeli Clavaſini opinione. p. 64.
CAP. XXIV.
De Hieronymi Zanetini ſententia. p. 68.
CAP. XXV.
De Thomæ Arſoncini Reſponſo. p. 70.

CAP. XXVI.
De Guidone Pancirollo. p. 78.
CAP. XXVII.
De Henrico Salmutho. p. 80.
CAP. XXIIX.
De Arnoldo Reygero. p. 104.
CAP. XXIX.
De Joachimo Schepliz. p. 107.
CAP. XXX.
De Joanne Brunnemanno. p. 109.
CAP. XXXI.
De aliorum quorundam JCtorum opinionibus, aurum Chymicum concernentibus. p. 114.
CAP. XXXII.
De Chymia per Aſtrologiam adumbrata. p. 117.
CAP. XXXIII.
De Trithemii opinione. p. 121.
CAP. XXXIV.
De Tychonis Aſtronomia Terreſtri. p. 123.
CAP. XXXV.
De Chymica characterum Aſtrologicorum explicatione. p. 125.
CAP. XXXVI.
De mirabili hiſtoria Walkenriethenſi. p. 132.
CAP. XXXVII.
De aliis quibusdam hiſtoriis Chymicis. p. 137.

VA1 1541352